MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80123-13

AUTHOR:

SCHNEIDER, JOHANN, 1853-

TITLE:

DE PROVERBIIS PLAUTINIS...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1878

Master Negative #

91-80123-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schneider, Johann, 1853-
De proverbiis Plautinis Terentianisque; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet auctor Ioannes Schneider... Berolini, Typis expressit Rudolphus Gensch, 1878.
55 p. 20½ cm.

Thesis, Berlin, 1878.

375190

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7-15-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

PROVERBIIS PLAUTINIS TERENTIANISQUE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XI. M. MAII A. MDCCCLXXVIII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOANNES SCHNEIDER,

NEOMARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:

AE. ALBRECHT, DR. PHIL.

E. VIEDT, CAND. PHIL.

M. SCHAEFER, STUD. PHIL.

BEROLINI MDCCCLXXVIII.

TYPIS EXPRESSIT RUDOLPHUS GENSCH.

IOANNI VAHLENO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

Poetas comicos, cum ad depingendam vitae cotidianae imaginem coloribus utantur ex ipsa communi hominum vita petitis, non est mirum, omnia in usum suum vertere, quaecunque in vulgi ingeniis moribusque posita aptam arti poeticae materiam praebeant. Velut proverbia, reliquias priscae illius philosophiae, quae quidem penitus hominum animis ac cogitationibus infixae sunt, suo iure poetae orationi intexunt. Quam consuetudinem vetustiorum poetarum vel Graecorum vel Romanorum nec Plautus omisit nec Terentius, in quorum utriusque usum proverbiorum accuratius inquirere et loco et tempori idoneum esse iudicavimus. Sic autem hanc disputationem instituemus, ut prius de argumentis proverbiorum explicemus, interpretationem nonnisi iis locis adhibentes, quorum vel sensus aliter nobis videatur capiendus esse atque interpretibus doctissimis, vel scriptura explicationem desideret, deinde de usu ac ratione, quam poetae in proverbiis usurpandis secuti sint, perscrutemur.

Est autem proverbium dictum quoddam celebre, ex universi vulgi mente quasi natum ideoque unicuique fere notum. Haec definitio mihi omnem vim ac naturam proverbii videtur prorsus complecti. Ea enim verba, quae ex universi populi mente nascuntur, exprimunt universam eius rationem sentiendi, cogitandi, iudicandi: eadem, cum unicuique fere noscuntur, imprimunt singulis totius populi consuetudinem cupiendi, dicendi, agendi. Ita quidem fit, ut proverbia universum populi ingenium ac mores luculenter significent. — Ad eum autem finem intendunt et Plautina et Terentiana,

ut eis, quae aguntur, clariorem lucem affundant rerum commemoratione, omnibus visu vel auditu cognitarum, aut ut eis, quae ponuntur, causas afferant, memoriā sententiarum, omnibus mente ac iudicio agnitarum.

Argumenta ducunt partim e vitae communis usu, sive rure sive in urbe actae: quae quidem vita, cum omnibus sit nota, proverbiis iustam praebet materiam. Unde fit, ut paene semper eis adsit metaphora, saepe allegoria. Alia deinde hominem ipsum eiusque corporis partes spectant; tertius denique fons ex praeterita populi vita manat, quae cognoscitur vel e memoria rerum a maioribus gestarum vel e sententiis, a sapientibus viris, sive philosophis sive poetis propositis. Atque hoc postremum genus licet saepe generalium sententiarum ordini, quas Graeci ‚γνῶμαι' vocant, proxime accedat, tamen longaevo usu et propter populare argumentum in proverbiorum consuetudinem cessit.

His in universum praemissis, quibus ipsum aditum munire disputationis meae volui, Plautina iam et Terentiana proverbia et ordine, quem modo significavi, disposita, et generibus distincta, sub unum conspectum quasi in tabella collocabo. In quibus enumerandis morem utriusque poetae, quo Graecorum poetarum fabulas vel imitabantur vel ad verbum exprimebant, respiciens, Graeca proverbia paria vel certe similia — quatenus in Erasmi Adagiorum corpore (edit. Parisiis a. 1572) omnino non apposita inveniuntur — singulis adscribam et ubi accurata Erasmi significatio auctorum desideratur, hanc breviter addam. Hoc enim modo simul perspicue intellegetur, ea dicta, quae prolaturus sum, re vera esse proverbia, quoniam certis Paroemiographorum nituntur testimoniis, qui quidem ex ipsorum veterum scriptorum libris singula eruerunt. — Semel hoc loco moneam, in citandis locis Latinis me Fleckeiseni editiones et Plautinarum fabularum, quas quidem vir ille doctus ineditas reliquit, Gronovianam sequi. Graeca autem proverbia ex Leutschii et Schneidewini ‚corpore Paroemiographorum, tom I et II' maximam partem excussi; quorum hominum doctorum eisdem scribendi compendiis ego in sequentibus utar.

Iam aggredimur ad rem. Ac primo quidem loco ea proverbia ponam, quae ex rustica vulgi vita deprompta vel ex observatione naturae, omnium nostrum altricis, ducta ad res agrestes, pastorales, venaticas pertinent. Tale enim argumentum subest his:

Asin. 874: Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit. *Art.*

de quo proverbio, ex Graeca lingua sumpto, vide Erasmi chil. III cent. I, 42.

Epid. IV, 2, 22: Perii! plaustrum perculi. *Pe.*

cuius proverbii, a Plauto etiam in Pers. V, 2, 5 adhibiti Donatus ad Terentii Eun. 379: ‚paene perculeris' mentionem facit. Prorsus falso autem Erasmum I, 6, 13 huius adagii sensum accepisse, iam Stephanus vidit. Nihil enim aliud illud sibi velle nisi hoc: ‚male rem gessi' apertissimum est. Graecum huic simile Scaliger nescio unde haustum adscribit: ‚ἤδη τραχηλίσειας, ἤδη πρηνίσειας ἄν με' cui ego quidem ex Apostolio 3, 2b hoc addam: ‚ἀνακυμβαλιάζεις τοὺς δίφρους'.

Pers. IV, 3, 74: Tali ut in luto haeream. *Do.*

Idem occurrit in Terentii Phorm. 780: ‚in eodem luto haesitas', bene congruens cum illo Comici Anonymi (cf. Meinekii fragm. comic. Graecor. IV p. 653): ‚ἐν βορβόρῳ κάθηται' et cui oppositum est, per eandem metaphoram conformatum hoc: ‚αἴρειν ἔξω πόδα πηλοῦ' quod proverbium esse testatur Gregor. Cypr. M. 2, 32.

Eun. 381: At enim istaec in me cudetur faba. *Pa.*

Huius proverbii sensum alii aliter explicare conati sunt; sed num quis eorum claram huic loco lucem attulerit, valde dubito. Duae enim illae explicationes, quae Donati auctoritate feruntur, ex huius ipsius loci contextu, parum accurate perpenso profectae esse videntur, et prorsus diversae sunt ab ea, quam scholiasta ad Persium (Taubmannus hoc scholion ad Plauti Captiv. II, 1, 7 citat, quod tamen frustra apud Persium quaesivi) prodit; quarum nulla magnam habet commendationem. Nam ut sane mirum est nimisque longe quaesitum, servi tergum cum areae solo comparare, quod, cum faba batuitur, laborat, ita est insolitum nimisque audax,

‚scuticam, in summitate sua nodos quosdam in modum fabae habentem', simpliciter vocare ‚fabam'. Itaque cum multum ac diu in hoc loco expediendo anceps haererem, opportune mihi in mentem venit Graeci illius proverbii: ‚*φακὸν κόπτεις*' (cf. Zenob. 6, 48 et Appendic. 4, 58), de eo usurpari soliti, qui operam ludit: quod quidem Terentium puto in suum usum hic vertisse. Quo respecto hunc locum sic recte interpretari mihi videor: Parmeno, pollicitus, Chaeream a se pro Eunucho in Thaidis domum ductum iri, a ferventissimo adolescente ad fidem servandam vehementer impulsus, illum movere studet, ut a consilio suo desistat: periculosae enim esse rem plenam aleae. Quod ille uno respuit verbo. Iam vero ad gravius argumentum progressus Parmeno obstinatius negat, ullo modo adolescentem voti sui compotem fore; itaque omnem operam eum frustra in hac re impetranda consumpturum esse. Sed hac servi tanta adversandi contumacia indignatus Chaerea stomachosa exclamatione et fortasse minaci vultu et gestu servum perterret, ne fortiorem animum remittens ad levius flagitii argumentum confugiat: quod quidem ille callida ratiocinatione facile removet. Itaque tandem Parmeno, nihil se proficere intellegens necessitati cedit, ita tamen, ut a se ipso omnem culpam amotam velit. Ergo hoc demum postremo loco (v. 388—89), cum iam Chaereae plane decretum sit, servus suae ipsius saluti apte prospicit, quam statim initio sermonis monere prorsus inutile fuisset, quoniam ibi hoc tam leve argumentum scil: vilis servuli periculi commemoratio, ad Chaeream omnino nihil valuisset. Praeterea, si acciperemus vulgarem versūs 381 explicationem, vehementer langueret sententia, v. 388 inutiliter iterata.

Trucul. IV, 2, 59: Si stimulos pugnis caedis, manibus dolet. *Din.*

Confer. Aeschyli Agam. v. 1593 (Herm.): ‚*πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, μὴ παίσας μογῇς*' quod haud ita alienum est a

Ter. Phorm. 78: Venere in mentem mi istaec:

Nam quae inscitiast Advorsum stimulum calces. *Ge.*

Vide idem prov. apud Eurip. Bacch. 794 et Zenob. 5, 70. Sumptum autem est hoc dicendi genus a veterum more,

iumenta stimulis et incitandi et regendi, de quo pluribus exponit Gronovius in Nott. in Terentium p. 187.

Merc. V, 4, 28: Vobis hercle habete cum porcis, cum fiscina. *De.*

Explicandae huius versus sententiae, qui mirifice criticorum ingenia exercuit, atque etiam Ritschelio obscurus videbatur, nescio an fortasse aliquid auxilii laturum sit Graecum illud proverbium: ‚*αὐτῷ κανῷ κατέφαγε πάντα* (cf. Diog. 4, 68)', quod usurpare solebant de eis, qui aliquam rem integram consumunt et exhauriunt. Egregie enim mihi videtur hoc loco similis sententia convenire Demiphoni, qui ab amicis acerrime reprehensus et de sua causa actum esse intellegens, ut reliquas eorum castigationes detrectet, omne hoc negotium repudiat et filio de amica haud cunctanter cedit. Hanc igitur cum fructu quodam comparans, quo ipse se delectare in animo habuerat, nunc quidem, cum male res evenerunt, se despicere simulat neque quidquam eam se sollicitaturum esse pollicetur, in hunc modum verba faciens: ‚In vestrum usum licet totum hunc fructum convertatis: quin etiam nihil ego impedibo, quominus, si placet, etiam fiscinam, in qua fructus collocatus est, vobis habeatis.' Ac ne minimam quidem amicae copiam se sibi requirere Demipho indicat synonymis adhibitis: ‚cum **sportis** cum fiscina' sicuti me iudice recte videtur Acidalius correxisse.

* Phorm. 318: Tute hoc intristi: tibi omnest exedendum. *Ph.*

id quod Graeci sic expresserunt: *ἣν τις ἔμαξε μᾶζαν, ταύτην καὶ ἐσθιέτω.* cf. Mac. 4, 50.

Aul. II, 2, 58: Ab asinis ad boves transcendere. *Eu.*

His verbis Plautus reddidit sine dubio Graecum hoc proverbium: ‚*ἀπὸ ὄνων ἐφ᾽ ἵππους* (cf. Diog. V. 1, 55)', libere, ut solet, sed hoc loco haud ita feliciter, opinor, et sine idonea causa ab exemplari suo recedens. Nam Graecae locutioni discrimen subest inter utrumque animalium genus, in eo positum, quod asinis, ad molestiores et inferiores labores destinatis onera ferenda imponebantur, contra equi, tamquam ad meliorem et superiorem sortem nati, in hominum ipsorum

usum adhibebantur; quod discrimen Babrii fabula 76 luculenter illustratur. Aperte igitur hoc sibi vult Graecum proverbium: ‚Ab inferiore loco ad ordinem melioris sortis transire.‘ Contra a discrimine longe alio proficiscitur Romanum proverbium vel Plautus in Graeco illo reddendo. Comparat enim cum asino bovem h. e. animal, quod aratro vel plaustro subiunctum rusticis tantum operibus faciendis et apud Graecos et apud Romanos usui fuit. Aliam igitur imaginem depingit Latinus poeta, aliam prodit Graecum proverbium. Neque enim, ascendens a minore ad maius, Plautus opponit inter se animalia diversi ordinis, sed, arcessens ab uno eodemque latere, adiungit potius et sub unum iugum mittit animalia inconvenientis necessitudinis. Quam inepte autem et prorsus praeter consuetudinem bovi imposuerit clitellas, quae quidem asino tantum conveniunt, haec offensio Plautum fugisse omnino videtur. Nam missa illa imagine non satis sibi constantem facit Euclionem, qui quidem cum simulet, Megadorum sibi videri hominem divitem (v. 50) h. e. nobilioris conditionis, v. 53 dicit, eundem ferre onus quoddam h. e. misera conditione esse afflictatum. Itaque fusius tota illa imagine perversa Plautum Graecum proverbium, praeclare compositum, male atque incommode mutasse ego censeo.

Adelph. 534: Tam placidum quasi ovis est, reddo. *Sy.*
quae sententia, a Bentleio recte, ut mihi videtur, et cogitandi rationem et similium locorum analogiam secuto, in hanc formam redacta, haud diversa est a Philippidis dicto (cf. Mein. IV, p. 476): ‚*ἄπεισιν ἀρνίου μαλακώτερος.*‘

Pseud. 319: Alligem fugitivam canem agninis lactibus. ***Ba.***

Hoc proverbium Plautus profecto ex Graeco illo hausit: ‚*κύων παρ' ἐντέροις*‘; cf. Diog. 5, 67a, quo, quod a Paroemiographo adscriptum legitur, per errorem librariorum aliunde migrasse videtur (cf. adnott. ad h. l.). Sumptum autem est a canum natura, qui, cum corium semel gustaverunt, intestina, pabulum eis gratissimum, avide appetunt. Id quod Graecis in huius proverbii usum abiit: *χαλεπὸν χορίου κύνα γεύειν* (cf. Greg. Cypr. 3, 97). — Hoc autem est nostri loci,

quod vocant tertium comparationis: Sicuti stulti atque insipientis hominis est, ait leno, canem prope intestina collocare, quae quidem statim devorat, ita summae esset stultitiae, Pseudule, si tibi credere in animum inducerem; nam beneficio meo abusus insidiis ac fraudibus me circumvenire haud desisteres.

Pseud. 141: Lupos apud oves linquere. *Ba.*
Idem Terentius usurpat in Eun. 832, iam ab Erasmo I, 4, 10 cum Graeco affini comparatum. Ad scripturam huius Terentiani versus infra (p. 41) redibit oratio.

Poen. III, 5, 31: Lupo agnum eripere. *Ly.*
Vide Erasmum II, 7, 80 citantem: ‚*ἐκ λύκου στόματος.*‘

Phorm. 506: Id quod aiunt: auribus teneo lupum. *An.*
quod Graeco proverbio, a Macario 8, 44 tradito accuratissime respondet. Cf. Polyb. 30, 18a.

Stich. 577: Eccum tibi lupum in sermone. *Ep.*
quo eodem proverbio Terentius utitur in

* Adelph. 537: Lupus in fabula. *Sy.*
ad illud Graecorum: ‚*εἰ καὶ λύκου ἐμνήσθη*‘ aut ‚*λύκον εἶδες*‘ respiciens, quod scholiasta ad Theocrit. 14, 22 *παροιμίαν* esse dicit. Cf. Diog. 4, 64 et Apost. 10, 89.

Asin. 495: Lupus est homo homini. *Me.*
Affine huic est illud Anacharsidi Scythae tributum, qui interrogatus: *τί ἐστι τὸ πολέμιον ἀνθρώποις; αὐτοί, ἔφη, ἑαυτοῖς.* Contrarium adhibet Caecilius (cf. Ribbek: frgm. comic. Rom. p. 66), Graecorum illud imitatus: ‚*ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ δαιμόνιον*‘ (cf. Zenob. I, 91), quod Plautus fortasse consulto sic mutavit.

Captiv. I. 2, 81—82: I modo, venare leporem: nunc ictim tenes,
Nam meus scruposam victus commeat viam. *He.*

‚Ictim‘ enim pro eo, quod vetustiores editores exhibebant ‚Itym‘ vel ‚erim‘, recte a novissimis restitutum est. Nam ita correctum habet proverbium eandem formam, quam Graecum illud induit ‚*γαλῆν ἔχεις*‘ quod Diogen. 3, 84 et Apost. 5, 26 in eos usurpari tradunt, quorum res male eveniat. Ex Aeliani autem N. A. 15, 11 mustelam vel ictim a veteribus inter

animalia inauspicata et infausta relatam esse constat. Itaque Gronovii priorem explicationem amplexus hoc proverbium bene quadrare puto in hunc parasitum, qui coenam parum unctam nactus lautiorem quaerere iubetur. Alterum autem huius loci proverbium manifestum est spectare ad Graecum: ,*ἀκανθώδη βίον ζῆν*' (Apost. 4, 94), quod in hominem frugi et vulgari victu contentum cadit.

Aulul. I, 1, 10: Testudineum istum tibi ego grandibo gradum. *Eu.*

Pariter Plautus loquitur in Amphitr. IV, 3, 53, similiter in

Men. V, 3, 12: ,Move formicinum gradum.' *Sen.*

Utriusque autem animalis nomen etiam Graecis proverbii loco fuisse conicere licet ex Diog. 7, 57: ,*πρότερον χελώνη παραδραμεῖται δασύποδα*' et ex Aristoph. Thesmophor. v. 100: ,*μυρμήκων ἀτραποὺς (παρασκευάζεται)*', quo proverbio, de incurvis viis formicarum ducto poetam, in ambiguo ludentem, simul Myrmec's semitam in Scambonidarum pago sitam significare recte docet Meinekius in frgm. com. II p. 331. Ceterum ex aliis animalibus etiam cochleam tamquam egregium tarditatis exemplum Plautus in Poen. III, 1, 29 commemorat.

Eun. 1024: Egomet meo indicio miser quasi sorex hodie perii. *Ta.*

ubi quae adscripta est scholiastarum explicatio, magis ipsorum coniectura, mirabilia sane narrantium de multis ad soricum vocem intendentibus eosque transfigentibus, quam alius cuiusdam vetusti scriptoris testimonio niti videtur. Proverbium enim mea quidem sententia non sic ferebatur: ,Meo indicio quasi sorex perii' sed sublato priore illo additamento, in propriam tantum hanc Parmenonis conditionem quadrante, ita potius: ,quasi sorex perii', id quod dilucide apparet ex simili Graeco proverbio ,*μυὸς ὄλεθρος*' (Diog. 6, 66), cui loco adnotatum est: *εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν ἀπράκτως ἀποθανόντων* et ex Aeliani (N. A. 12, 12) explicatione: *οἱ μύες ἀποθνήσκοντες καθ' ἑαυτοὺς καὶ ἐκ μηδεμιᾶς ἐπιβουλῆς ἀπορρεόντων αὐτοῖς τῶν μελῶν κατὰ μικρὰ ἀπέρχονται τοῦ βίου· ἔνθεν καὶ ἡ παροιμία λέγει* cet. — Hoc igitur proverbio usus Parmeno fatetur, se nullis insidiis circumventum

esse, sed ipsum fatum in se traxisse, ita ut tamquam sorici sine ulla spe salutis sibi pereundum esse intellegat. — Haec autem mea interpretatio si vera est, continuo est actum de Scaligeri aliorumque explicatione, quam propositam invenimus ad

Plauti Bacch. 889: ,Te faciam
Confossiorem soricina naenia'. *Ch.*

Nullus enim hoc loco sermo est de sorice, vocem emittente ideoque depreso et confosso. Sed, nisi forte verendum est, ne verba mendum traxerint, recte cum Aureliano et aliis interpretibus facere nobis videmur, qui ,naeniam' vocatum esse genus quoddam farciminis ex Arnobii adv. Gent. lib. VII docent, et intellegunt servum minari, Cleomachum in minutissimas partes a se concisum iri.

Poen. IV, 2, 49: Sine pennis volare haud facilest. S*yn.*

cui par proverbium Boissonadus e codice Parisino p. 396 edidit (cf. Paroemiogr. II p. 345): ,*ἄνευ πτερῶν ζητεῖς ἵπτασθαι*', quod respicere videtur Eubulus (Mein. III p. 254): *ἄπτερος ὢν κούφως πέτεται.*

Heautont. 520: Visa verost quod dici solet: Aquilae senectus. *Sy.*

a Zenobio 2, 38 Graece prolatum, ab Aristotele H. A. 9, 2 explicatum.

Poen. II, 2, 40: Necabam pinna sua sibi quasi turturem. *An.*

Hoc modo Plautum existimo reddidisse Graecum proverbium: ,*τοῖς σαυτοῦ πτεροῖς ἥλως*' (Mac. 8, 57), quod quidem per Aeschylum celebratum esse ex Schol. ad Aristoph. Av. 808 Suidas tradit. Huic proverbio coniungimus illud significatu diversum, sed sententia simile Terentianum Phorm. 491, cui versui Fleckeisenum feliciter puto medicinam adhibuisse. Tralaticia enim eius forma haec est:

An. Metuo lenonem nequid suo suat capiti. *Ge.* Idem ego vereor.

Sed verba inter personas non recte distributa esse Bentleius intellegens, Getae sermonem post ,nequid . . .' incepit. Verum anceps etiam haerens de verbo ,suere' absolute posito, itemque de verbo ,vereor' ut alienissimo a sermonis conexu, vir ille

magnus ‚suat' in ‚fuat' mutavit, praeter necessitatem, opinor. Nam cum manca sit Antiphonis oratio, quam recte explet Donatus addita voce ‚mali', verbum ‚suere' non est absolute positum. Alia autem, quae videtur, difficultas facile removebitur, si totius sermonis seriem reputaverimus. Antipho enim, ut est anxius nimisque trepidus, veretur, ne leno durus atque iratus Phaedriae quid turbae faciat vel certe de amica ut morem gerat. Quem timorem contra Geta irridet, excipiens illius orationem interruptam, et facete atque ironice timido adolescenti suam ipsius sententiam fortem et lenoni potius male ominantem supponens. Quod vero per ironiam Geta metuendi verbum retinet, qui quidem optat potius, ut ipse pugnis lenonis caput notet (cf. exempli gratia Adelph. 169—174 et 181—182), comicam huius scenae vim meo quidem iudicio etiam multo auget. Itaque equidem a Fleckeiseni partibus sto, hunc versum sic reponentis:

An: Metuo lenonem nequid . . . . *Ge:* Suo suat capiti? idem ego vereor.

Similes autem huius proverbii locutiones plures extant et apud Plautum velut in Cas. III, 6, 9. II, 3, 50. Trin. 129 et apud Terentium Adelph. 958. Phorm. 491. Cf. Leutschii adnot. ad Mac. 8, 57.

Bacch. 38: Metuo lusciniolae ne defuerit cantio. *Ba.*
a Graeca huius avis significatione derivatum, quoniam *ἀηδών* est *ἀεὶ ᾄδουσα,* sicut Gronovius lectt. Plaut. p. 163 monet. Similiter Aeschylus Agam. v. 1102 lusciniam ‚*ἀκόρετον βοᾶς*' vocat et Nicocharis (Mein. II, p. 846) ‚*τὸν ἀηδόνειον ὕπνον*' ut somnum, per brevissimum temporis spatium extentum, commemorat. — Nostro autem loco Bacchis illud proverbium ad sororem metuentem, ne in monendo adolescente oratio se deficiat, ironice refert, respondens, sane nullo tempore fieri posse, ut soror, quae et natura et usu orationem semper habeat in promptu, silentium teneat.

Aulul. III, 6, 28: Qui ossa atque pellis totust. *Eu.*
Hanc proverbialem hyperbolam, ab eodem Plauto in Capt. I, 2, 32 adhibitam, etiam Graecis vulgatam fuisse, docemur Theocriti Id. IV, 15: ‚*Τήνας μὲν δή τοι τᾶς πόρτιος αὐτὰ λέ-*

λειπται Τὠσιέα' et Callimachi epigr. 30, 3, ubi hanc lectionem Meinekius proponit: ‚*ὀστέα σοι καὶ μοῦνον ἔτι ῥάχις*'.

* Phorm. 186: Laterem lavem. *Ge.*
Idem proverbium, de cuius origine Lucilius Sat. XI explicationem profert, Graece exhibet Greg. Cypr. M. 4, 80, D. V. 3, 52.

Poen. I, 2, 81: Tu es lapide silice stultior. *Mi.*
congruum paene cum Terentii Hec. 214:

Quae me omnino lapidem, non hominem putas. *La.*
quod poeta Apollodoro acceptum fert teste scholiasta: ‚*σύ με παντάπασιν ἡγεῖ λίθον*'. Vocem autem ‚*λίθος*' vel ‚*ἀνδριάς*' Graecis quoque de homine stupido et amenti in proverbii usu fuisse, his locis cognoscitur: Mac. 5, 61: *λίθῳ λαλεῖς.* Diog. 6, 79: *ἀνδριάντι πρεσβεύσομεν.* Frequens autem est huius locutionis usus apud utrumque poetam, id quod intelleges ex Eun. 1085. Heau. 831. 917. Mil. 236. 1024.

Curc. 53: Semper tu scito: flamma fumo proximast. *Pa.*
ad similitudinem huius Graeci, quod quidem ad argumentum attinet, redactum: *φεύγοντα καπνὸν εἰς πῦρ εἰσπίπτειν* (Mac. 8, 42 Diog. 8, 45). Sed nostri loci etiam externae formae propius accedit id quod Lucianus in Necyom. c. 4 praebet: *ἐλελήθειν δ' ἐμαυτὸν ἐς αὐτὸ, φασὶ, τό πῦρ ἐκ τοῦ καπνοῦ βιαζόμενος.* Cf. Erasm. I, 5, 5.

Uberrimus igitur proverbiorum fons sunt, uti vidimus, res rusticae, segetibus pratisque haud magis quam pecudum pastu et venationibus laetae ac fortunatae. Sed cum hoc vivendi genere, quod in agris silvisque continetur, propinquae quodam cognationis vinculo illud maritimorum hominum coniunctum est, qui aut navigationis aut piscatus officia praestant. Quid igitur est mirum, quod etiam ex his curis ac negotiis cotidianae vitae proverbia hausta sunt? Cuius generis apud Plautum haec inveniuntur:

Most. III, 1, 147: Iterum iam ad unum saxum me fluctus ferunt. *Tr.*
manifesta profecto imitatione ad Graecum illud: ‚*δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν προσκρούειν λίθον*' conformatum, quod quidem Zenobius III, 29 et Diog. V. 2, 32 afferunt. Eandem autem

sententiam Charinus adolescens in Merc. I, 2, 85 profert. Quo loco posteriore r e p e t i t i eiusdem periculi notione opus esse praegressae orationis tenor planissime docet. Quid enim aliud periculi saevae tempestates (v. 83) navigantibus creant, nisi ut eos a recto cursu ad loca navigationi iniqua depellant vel ad saxosa deiciant? Semel igitur Charinus, undarum et tempestatum difficultatibus afflictus, naufragii calamitatem vix aegreque effugit, sed frusta effugit, cum paulo post in novas angustias ac miserias incidat. Hos autem metophorice illi naufragio, de quo modo locutus est, Charinus apte confert, nunc quidem de periculo, celeriter repetito, suo iure lamentatus. Oppositio igitur recte demum evadit et pondus sententiae multo augetur, si cum Ritschelio ‚iterum' vel potius cum Buechelero (Mus. Rhen. XV. p. 430 ‚d e n u o' — quae vox quam facile post verbum ‚vi-deo' neglegi potuerit, unusquisque videt — reponimus, versum sic legentes:

Verum video denuo me ad saxa ferri fluctibus.

Vocabulum autem ‚saevis' quod libri exhibent, bis in versibus se paene excipientibus positum, molestum reddit sermonem et languidum neque dubium est, quin librariorum neglegentia huc irrepserit, quamobrem versus necessitate cogente delendum est.

Haud incommode huc adicere mihi videor:

Ter. Andr. 693: Credebas dormienti haec tibi confecturos deos? *Mi.*

quo dicto poetam ad illud a piscatorum negotiis translatum et narratione de Timotheo Atheniensi (cf. Plut. Morall. II, 187 B) celebratum proverbium alludere viderunt editores Gottingenses ad Diog. 4, 64: ‚*εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ*' quod obscoene variavit Cratinus (Mein. II p. 23). Quamquam sane nostro loco magis propinqua est Menandrea illa sententia (Mein. IV p. 205): ‚*αὐτόματα γὰρ τὰ πράγματ' ἐπὶ τὸ συμφέρον ῥεῖ κἂν καθεύδῃς.*

Haec fere sunt proverbia rustica, ut ita dicam, et quae sunt similis generis. His iam certa quaedam addere mihi liceat, quae homines de semet ipsis h. e. de corpore humano eiusque partibus derivarunt. Qui mos his exemplis declarabitur:

Epid. V, 1, 17: usque ab unguiculo ad caput summum. *St.* cui aptos locos Graecos Erasmus I, 2, 37 adscribit.

Pseud. 107: ita supercilium salit. *Ps.*

quod augurium, ex corporis affectu captatum, respicit Theocritus Id. 3, 37: *ὀφθαλμὸς ἄλλεται.* Aliud eiusdem omen Plautus in Mil 397, Pers. I, 1, 32, Poen. V, 5, 26 attingit.

Heau. 342: In aurem utramvis otiose ut dormias. *Sy.* Apud Graecos haec proverbii forma iactabatur: *ἐπ' ἀμφότερα καθεύδει τὰ ὦτα* (cf. Appendic. 2, 78), Plautus autem in Pseud. 123 ex hoc facete ludum et iocum captat.

Aul. I, 1,25: Quae in occipitio quoque oculos habet. *Eu.* totidem profecto verbis ex hoc Graeco expressum: *ὄπισθεν κεφαλῆς ὄμματ' ἔχει* (Apost. 12, 94), cuius sensum Erasmus III, 3, 41 exponit.

Trin. 910: Vorsabatur mihi in labris primoribus. *Sy.* Simile quid reperitur apud Lucianum adv. Indoct. c. 26: *ἐπ' ἄκρου χείλους,* verum possitne hoc conferri cum nostro loco, recte videtur Stephanus ad Erasmi I, 9, 93 dubitare.

Bacch. 675: Digitulis duobus sumebas primoribus. *Ch.* ab Erasmo I, 9, 94 cum pari Graeco proverbio (Zen. 1,61) collocatum.

Tantum de his. Ad ea autem proverbia progrediamur, quae sumpta sunt ex urbana vita, quae quidem continetur et publicis rebus, aut in negotiis cotidianis aut in foro aut in iudiciis actis, et privatis rebus, gestis aut in domo inter familiam et amicos aut in locis animorum sensuumque delectationi institutis. Quo in numero haec proverbia et proverbiales locutiones pono:

Epid. III, 3, 30: Non carust auro contra. *Ap.* idem fere valens atque ‚*ἰσάργυρος*' (Aesch. Agam. 959).

Asin. 172: Par pari hostimentumst. *Cl.*

vel Truc. V, 47: Par pari respondet. *Ph.*

quibus addam TerentianumAdelph. 73: Studet par referre *Mi;* quod luculentissimam habet congruentiam cum hoc Graeco: ‚*ἴσον ἴσῳ ἐπιφέρειν*' (Demosth. p. 528, 18). Vide etiam Herodoteumillud (I, 18): ‚*τὸ ὁμοῖον ἀνταποδιδόναι.*' In Cist.

IV, 2, 38 et alibi saepius Plautus hoc e re iudiciali translatum usurpat proverbium:

Actam rem ago. *Ha.*

quod apud Terentium quoque invenitur in

Phorm. 419: Actum, aiunt ‚ne agas‘

cui loco Erasmus I, 4, 70 Graecum illud: ‚τὸ πραχθὲν μὴ πράξῃς‘ adiungit, sed unde habeat, nescio. Familiaris est profecto huic paroemiae illa formula: ‚actum est‘ quam plus semel uterque poeta praebet velut Plautus in Cist. IV, 2, 16, Terentius in Adelph. 325. Compar autem extat Graeca formula in Apophthegmatis, saepius apud scriptores obvia, velut apud Euripidem in Hippol. 680 et 778: ‚πέπρακται.‘

Bacch. 815: Atque in eopse astas lapide ut praeco praedicat. *Ch.*

Hoc proverbium ex eo more, Graecis cum Romanis communi, natum est, quo vilissimum servorum genus in foro praedicantes minimo pretio vendebant. Qui vulgaris mos illo dicto alluditur: ἀνδράποδον ἀλώνητον (Zen. 2, 12) et hic illic a comicis respicitur velut ab Aristophane Ach. 683: τῷ λίθῳ προσέσταμεν et Pac. 680. Confer etiam Plut: Solon. c. 8 et Polluc. 3, 78, 126. Ceterum recte mihi videtur Beckerus (de com. rom. quaestt. Lips. 1837 p. 9.) pro ‚ut‘ particula, qualem plurimi libri exhibent, codicis *F* et principis editionis scripturam ‚ubi‘, quam tamen vocem post ‚praeco‘ collocat, commendare; nam relativa sententia antecedente demonstrativo pronomine ‚eo‘ sane requiritur.

Rud. 150: Propter viamilli sunt vocati ad prandium. *Sc.*

Quod proverbium, ut Festus p. 228 et 229 (Müll.) tradit, ex veterum fluxit usu, reliquias omnes sacrificii, quod iter ingressuri faciebant, igni comburendi, de quo nonnulla profert Macrob. Saturnal. II, 2. Sed num Graecis id fuerit in proverbio, quod Dacierius ad Festi locum s. v.: ‚propter viam‘ adscribit: ‚ἐξιτήρια θύειν‘ equidem nescio. Certe a nullo de huiusmodi dicto quidquam proditur.

Menae. II, 2, 38: Iubeas porculum afferri tibi. *Men.*

in eos quadrans, qui mente capti sunt. Atque etiam Graecos porculum immolare solitos esse constat eo consilio, ut ho-

minem, aliqua re turpi inquinatum vel etiam morbis cum aliis tum insania affectum, qui quidem deis displicere credebatur, perpurgarent et expiarent. Commemoratur autem hoc sacrificium apud Aristophanem Pac. 374, Ran. 338.

Rud. 461: Praefiscine. *Sc.*

Hanc vocem simili modo in Cas. V, 2, 51 sermoni interpositam, plenius in Asin. 491 collocatam, ex religiosa quadam verecundia profectam, in proverbii consuetudinem discessisse Muretus Var. Lect. IX, 3 demonstravit. De superstitiosa autem veterum opinione, qua amuletis vel symbolis se a fascino defendi posse arbitrabantur, vide quae Casaubonus lectt. Theocrit. c. 8 p. 76 affert. Ceterum eandem superstitionem apud Graecos viguisse, hac locutione, Romano vocabulo prorsus respondente, quam Theocritus Id. VI, 39 exhibet, satis intellegitur: ‚ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.‘ Cf. Apost. 18, 67a.

Pseud. 363: Vetera vaticinamini. *Ba.*

Graecum aequle dictum ab Aeschylo in Prom. 319 usurpatum Erasmus I, 5, 24 ex Diog. 2, 3 eruit. — Haud multum autem hoc distat a

Ter. Phorm. v. 495: Cantilenam eandem canis. *Do.*

qui affinis est Theophili versui (Mein. III, 629): οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν ταὐτὸν ᾄσεται μέλος.

Sed nunc licet ad ea proverbia enumeranda pergere, quae ex domestica vita, inter familiam et amicos acta, manaverunt. Cuiusmodi haec habes:

Pseud. 314: Nam istuc . . . apud novercam querere. *Ba.*

Aeque male novercas apud Graecos audiisse, tamquam dure et inique in privignos se gerentes, constat ex Diog. 2, 76 et Apost 18, 66 r. Praeterea velim consideres Herodot. IV, 154.

Porro ex larga exemplorum copia, quibus de mulieribus sermo est, hoc loco pauca depromere satis sit, velut haec:

Mil. 1292: Mulier profecto natast ex ipsa mora. *Pl.*

quam eandem sententiam magis proprie Terentius exprimit in Heau. 240: Nosti mores mulierum:

Dum moliuntur, dum comuntur, annus est. *Clin.*

Fleckeisenus Bentleium secutus pro ‚comuntur‘ legit hoc loco:

,conantur'. Sed vide, an fortasse haud inepte Aristophanis sententia similis (Mein. II, 1182) huc adhiberi possit: *,λούσησθε καὶ κτενίσησθε πρὸς ἥλιον.'*

Rud. 1114: Tacitast melior mulier semper quam loquens. *Tr.*

id quod Graece ita ferebatur: *γυναιξὶ πάσαις κόσμον σιγὴ φέρει* (Menandri mon. 83; cf. Mein. IV p. 342.).

Eun. 813: Novi ingenium mulierum:

Nolunt ubi velis, ubi nolis cupiunt ultro. *Gn.*

quod, de mulierum levitate et inconstantia pronuntiatum bene Kiessling ad Theocriti Id. VI, 15—17 citat: *καὶ φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.*

Acerrime vero et Plautus et Terentius, Graecorum comicorum morem passim obvium secuti, in mulieres invehi solent, quarum nomen proverbialiter de loquacitate, stultitia perfidia, ceteris earum propriis vitiis usurpant. Proinde confer. si placet, hos locos: Epid. IV, 1, 28. Most. III, 116. Mil. 456 Amph. 836. Heau. 1006. Hec. 312 cet.

Tum amicorum inter se necessitudines et familiaritates haec respiciunt exempla proverbialia:

Epid III, 3, 44: Nihil homini amico est opportuno amicius. *Pe.*

quam sententiam, a Plauto frequentatam in Bacch. 386, Curc. 332, Mil. 658, Terentius in Phorm. 562 paululum mutavit, Apollodori dictum: *,μόνος φιλεῖν γὰρ τοὺς φίλους ἐπίσταται (ἄνθωπος)'* fideliter imitatus. Alios similes locos vide apud Erasmum I, 3, 17. — Huc pertinet etiam

Heau. 419: Nos quoque senes est aequom senibus obsequi. *Ch.*

iuxta illud proverbium usitatissimum, ait Calphurnius: ,Pares cum paribus facillime congregantur', quod idem Graecis erat vulgare proverbium teste Platone in Conviv. 195 B: *,ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει · ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει'.* Atque erat quidem vetus verbum, vel ab Homero Od. ρ, 218 sic expressum: *ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον,* ab aliis scriptoribus velut ab Aristotele Eth. Nic. 1155 a 34, 1165 b 17, saepius, citatum. Verum etiam proprium illud

Terentianum Diog. 5, 16 affert: *,ἧλιξ ἥλικα τέρπει, γέροντα δὲ γέρων'.*

Hoc loco porro moneam equidem illud praeceptum: *τὰ τῶν φίλων κοινά* (cf. Eurip. Or. 735, Greg. Cypr. L. 2, 54), quod inter Pythagoreos ortum esse Cicero et Offic. I, 6 et Legg. I, 12, diserte testatur, Terentius autem, Menandri, ut videtur, vestigia premens, cuius auctoritate Suidas illud tradit, usurpat in Adelph. 804: Nam vetus verbum hoc quidemst:

Communia esse amicorum inter se omnia, *Mi.*

quod idem Plautus in Truc: IV, 4, 32 sic profert:

V e r u m s t verbum, quod memoratur: ubi amici, ibidem opus. *Phro.*

Sed ab hoc loco, de cuius traditae scripturae integritate vel sententiae forma vel metrica difficultas iustam movit criticis dubitationem, non possum discedere, quin in singulorum versus restituendi conamina accuratius inquiram et examinem eorum coniecturas. Nam primum quidem negotii et molestiae mentionem (,ibidem o p u s') prorsus absurde et inepte iniectam esse hoc loco, ubi amicus Phronesio gratissimum modo fecit, nihil est luce clarius. Itaque Jo. Baptistae Pii coniecturā, pro ,opus' corrigentis ,opes', quae per se quidem satis certa, firmissimo Quintiliani restimonio, (Institut. V, 4, 41) hoc proverbium sic citantis: ,ubi amici, ibi o p e s', comprobatur, sententiae quidem vitium egregie sublatum est. Sed et metricam difficultatem, quae ne sic quidem removetur, et conformationis offensionem, qua hunc versum non esse immunem putat, Flekeisenus (Annal. phil. et paed. 1870, p. 852) tollere sibi videtur, versum sic legens:

Verumst verbum quod memoratur: u b i a m i c e i s, i b i s u n t o p e s.

Quamquam ego quidem vereor, ut veram Plauti manum assecutus sit. Nam etsi Quintiliano teste haec fuit vulgaris proverbii forma: ,ubi amici i b i o p e s', tamen Plautus ipse prorsus a se repudiat id quod Fleckeisenus ab eo postulat, scilicet ut p r o v v. q u a m m i n i m e m u t a t a m e t r o intexat. Saepe enim poeta, aeque ac Terentius, sicuti infra p. 44 docebimus ea ex arbitrio mutare vel variare nil dubitat. Exempli

gratia, quod in Asin. 186 legitur, aliter sonat in Truc. V, 1, 40, et forma proverbii, quae in Captiv. III, 1, 147 exhibetur, paulo alia est in Merc. I, 2, 85. Confer etiam Poen. IV, 2, 22 cum Naeviana eiusdem proverbii conformatione, a Festo sic citata: ,Male parta male dilabuntur' vel Terentii

Heau. 796: Verum illud

Dicunt: ius summum saepe summast malitia.

cum forma a Cicerone usurpata, qui in libro de offic. I, 10 idem quod iam Terentio tritum erat proverbium, ita mutatum citat:

,Summum ius summa inuria'.

Horum igitur exemplorum frequentia, quibus multa etiam addi possunt, egregie docet, tales mutationes, a poetis factas, minime vulgo fuisse offensioni ideoque cum poetarum satis familiari licentiae, tum Plautino mori, in quem infra (p. 50) oratio incidet, esse largiendas. Quae cum ita sint, ea offensione, quam Fleckeisenus in particulis ,ubi — ibidem', parum inter se respondentibus, invenit, hunc locum carere arbitratus, diu eum perpurgatum esse intellego Lambini emendatione, legi iubentis: ,ubi amici, esse ibidem opes' quam quidem cum Bentleio (ad Eun. IV, 5, 6) libenter amplectar. Cuius rei hanc quoque habeo causam, quod Plautus uno illo loco, ubi formulam: ,Verum (est) verbum' (Merc. IV, 4, 31) proverbio praefigit, hoc ipsum in infinitivo positum subiungit. Reliquis contra locis, quos congessi p. 52, ubi alio praemonito velut: ,aiunt', ,dici solet' cet. utitur, proverbia non pendent ab his formulis, sed absolute et definite adduntur. Eandem rationem Terentius, si non ubique tamen plerumque, sequitur (cf. Andr. 426, Adelph. 804, Heau. 210, quo postremo loco ,scitum est' idem valet atque: ,verum est verbum vetus'. Nam ,scitum' est dictum, quod et antiquitate et veritate commendatur.).

Sed accuratius hoc loco tractato redeat iam oratio, unde profectus sum, scilicet ad enumeranda reliqua proverbia, quae ad amicorum usum pertinent. Ad prov. igitur de modio salis cum amico edendo Plautus alludit in

Cas. III, 2, 8: Non ecastor vilis emptust modius, qui venit, salis. *Cl.*

Nam hoc loco de mancipiis, quae vocantur ,*ἁλώνητα*' nullum sermonem esse — qualis interpretatio Salmasio et Gronovio placuit — verba: ,qui venit' dilucide ostendunt. His enim verbis omissis metaphora de modio salis sumpta et ad ipsum Alcesimum — haud convenienter credo, quoniam hic vir non est servus — translata, quamvis audax et quaesita, tamen esset perspicua: eisdem verbis admissis tota oratio fit perplexa et obscura. Contra amicitiam potius, non amicum ipsum per illud: ,modius salis' significari, ex antecedentibus verbis: ,meo viro qui liberum praebet locum' et ex tota praegressa scena liquet. Itaque nescio, an non incommode illa verba in hanc sententiam percipiantur: Irridet et illudit Cleostrata Alcesimum, amicitiae, paulo ante cum Stalinone initae specimen daturum (cf. III, 1, 1 –3). Suo enim dolo atque artificio se utrique seni facile obrepturam et amicitiam recens iunctam in simultates et inimicitias permutaturam esse (cf. III, 2, 31) mulier haud mediocriter gaudet. Itaque ironice per illam de sale ductam allegoriam hoc modo secum verba facit: Permagno nimirum oportet viro meo istius Alcesimi amicitia steterit, quippe quae, ubi primum in discrimen vocatur, in eo sit, ut funditus evertatur. Nam hoc ipso tempore, ubi ille sal venturus est, h. e. ubi amicitia primo impetu corruit, perspicuum fit, quam exiguum quondam eius pretium fuerit et quam cito atque obiter ista amicitia contracta sit. — Spectare autem hanc dicendi rationem patet ad tritum illud Graecorum: ,*ἁλῶν μέδιμνον ἀποφαγεῖν*' (cf. Apost. 2, 28 Greg. Cypr. L. 1, 23), in eos usurpatum, qui uno salis modio consumpto firmam amicitiam inire non possunt; quoniam, ut Ciceronis verbis utar (Lael 19, 67), multi modii salis edendi sunt, ut amicitiae munus expletum sit. Aristoteles quoque huius dicti proverbialem naturam et in Eudem. 1238 a 3: ,*διὸ εἰς παροιμίαν ἐλήλυθεν ὁ μέδιμνος τῶν ἁλῶν*' et in Eth. Nic. 1156 b 27 testatur. De sale deinde, vilissimo pauperum victu, Plautus mentionen facit in Rud. 937:

Hic rex cum aceto pransurust et sale. *Gr.*

(cf. Diog. 1, 50, Hom. Od. 17, 455: *οὐδ' ἅλα δοίης*) et in

gratia, quod in Asin. 186 legitur, aliter sonat in Truc. V, 1, 40, et forma proverbii, quae in Captiv. III, 1, 147 exhibetur, paulo alia est in Merc. I, 2, 85. Confer etiam Poen. IV, 2, 22 cum Naeviana eiusdem proverbii conformatione, a Festo sic citata: ‚Male parta male dilabuntur' vel Terentii

Heau. 796: Verum illud
Dicunt: ius summum saepe summast malitia.

cum forma a Cicerone usurpata, qui in libro de offic. I, 10 idem quod iam Terentio tritum erat proverbium, ita mutatum citat:

‚Summum ius summa inuria'.

Horum igitur exemplorum frequentia, quibus multa etiam addi possunt, egregie docet, tales mutationes, a poetis factas, minime vulgo fuisse offensioni ideoque cum poetarum satis familiari licentiae, tum Plautino mori, in quem infra (p. 50) oratio incidet, esse largiendas. Quae cum ita sint, ea offensione, quam Fleckeisenus in particulis ‚ubi — ibidem', parum inter se respondentibus, invenit, hunc locum carere arbitratus, diu eum perpurgatum esse intellego Lambini emendatione, legi iubentis: ‚ubi amici, esse ibidem opes' quam quidem cum Bentleio (ad Eun. IV, 5, 6) libenter amplectar. Cuius rei hanc quoque habeo causam, quod Plautus uno illo loco, ubi formulam: ‚Verum (est) verbum' (Merc. IV, 4, 31) proverbio praefigit, hoc ipsum in infinitivo positum subiungit. Reliquis contra locis, quos congessi p. 52, ubi alio praemonito velut: ‚aiunt', ‚dici solet' cet. utitur, proverbia non pendent ab his formulis, sed absolute et definite adduntur. Eandem rationem Terentius, si non ubique tamen plerumque, sequitur (cf. Andr. 426, Adelph. 804, Heau. 210, quo postremo loco ‚scitum est' idem valet atque: ‚verum est verbum vetus'. Nam ‚scitum' est dictum, quod et antiquitate et veritate commendatur.).

Sed accuratius hoc loco tractato redeat iam oratio, unde profectus sum, scilicet ad enumeranda reliqua proverbia, quae ad amicorum usum pertinent. Ad prov. igitur de modio salis cum amico edendo Plautus alludit in

Cas. III, 2, 8: Non ecastor vilis emptust modius, qui venit, salis. *Cl.*

Nam hoc loco de mancipiis, quae vocantur ‚*ἀλώνητα*' nullum sermonem esse — qualis interpretatio Salmasio et Gronovio placuit — verba: ‚qui venit' dilucide ostendunt. His enim verbis omissis metaphora de modio salis sumpta et ad ipsum Alcesimum — haud convenienter credo, quoniam hic vir non est servus — translata, quamvis audax et quaesita, tamen esset perspicua: eisdem verbis admissis tota oratio fit perplexa et obscura. Contra amicitiam potius, non amicum ipsum per illud: ‚modius salis' significari, ex antecedentibus verbis: ‚meo viro qui liberum praebet locum' et ex tota praegressa scena liquet. Itaque nescio, an non incommode illa verba in hanc sententiam percipiantur: Irridet et illudit Cleostrata Alcesimum, amicitiae, paulo ante cum Stalinone initae specimen daturum (cf. III, 1, 1 –3). Suo enim dolo atque artificio se utrique seni facile obrepturam et amicitiam recens iunctam in simultates et inimicitias permutaturam esse (cf. III, 2, 31) mulier haud mediocriter gaudet. Itaque ironice per illam de sale ductam allegoriam hoc modo secum verba facit: Permagno nimirum oportet viro meo istius Alcesimi amicitia steterit, quippe quae, ubi primum in discrimen vocatur, in eo sit, ut funditus evertatur. Nam hoc ipso tempore, ubi ille sal venturus est, h. e. ubi amicitia primo impetu corruit, perspicuum fit, quam exiguum quondam eius pretium fuerit et quam cito atque obiter ista amicitia contracta sit. — Spectare autem hanc dicendi rationem patet ad tritum illud Graecorum: ‚*ἁλῶν μέδιμνον ἀποφαγεῖν*' (cf. Apost. 2, 28 Greg. Cypr. L. 1, 23), in eos usurpatum, qui uno salis modio consumpto firmam amicitiam inire non possunt; quoniam, ut Ciceronis verbis utar (Lael 19, 67), multi modii salis edendi sunt, ut amicitiae munus expletum sit. Aristoteles quoque huius dicti proverbialem naturam et in Eudem. 1238 a 3: ‚*διὸ εἰς παροιμίαν ἐλήλυθεν ὁ μέδιμνος τῶν ἁλῶν*' et in Eth. Nic. 1156 b 27 testatur. De sale deinde, vilissimo pauperum victu, Plautus mentionen facit in Rud. 937:

Hic rex cum aceto pransurust et sale. *Gr.*

(cf. Diog. 1, 50, Hom. Od. 17, 455: *οὐδ' ἅλα δοίης*) et in

Pers. 3, 3, 26 et in Curc. 562: ‚Numquam delinges salem' cui postremo loco Erasmus III, 7, 33 addit verba: ‚*ἅλα λείχειν*' ex Aristot. H. A. 580b 31 sumpta, ubi tamen non proverbialiter, sed proprie dicta sunt.

Huius generis denique agmen claudat:

Cas. V, 2, 52: ‚Ut senex eodem quo bibi, biberet'. *Ol.* quod hospitii symbolum fuisse et Rud. 883—884 et Aristoph. Equitt. v. 1289: ‚*οὔ ποτ' ἐκ ταὐτοῦ μεθ' ἡμῶν πίεται ποτηρίου*' perspicue cognoscitur. Erasmi autem interpretationem, quam I, 8, 81 expositam reperimus de iis, qui communibus incommodis malisque obnoxii sunt, ad Casinae tantum locum, non ad proverbium, alioquin usitatum, pertinere eiusque explicationem improbandam esse apertum est.

Quamquam haec posteriora provv. societatem quandam habent cum eo genere, ad quod iam est transeundum. Sequitur enim, ut de proverbiis dicatur, petitis ex compotationibus vel conviviis vel aliis voluptatibus, quarum urbana praecipue vita largam facit copiam. In eorum autem numerum haec veniunt:

Mil. 1006: Cum haec locuta, illam autem absentem subigit me ut amem?

Locum hunc corruptum esse, nemo est quem fugiat, sed a nemine melius curatum existimo quam a Kiesslingio (Mus. Rhen. XXIV p. 116) qui Ritschelii vestigiis insistens sic eum restituit:

‚Nam haec **locusta** mullo absente me adigit se ut amem'. *Py.*

quae versus conformatio traditae scripturae proxime accedit. Est autem locusta piscis marinus, qui propter vilitatem pretii frequens vulgi cibus erat. Cum hoc igitur pisce miles Milphidippam, cuius blandimentis captus est, haud inepte comparat. Sumpta enim est haec comparatio ex delicatorum hominum more, propter nimiam cupediorum libidinem vel eos cibos edendi, qui minimi vel nullius pretii sunt. Qui mos tangitur hoc Graeco proverbio: ‚*τέττιγας ἐσθίεις*', quod apud Apostolium 16, 35a cum hac nota invenitur: ‚*ἐπὶ τῶν διὰ λιχνείαν καὶ τὰ οὐδενὸς ἄξια ἐσθιόντων*' (cf. Aelian. H. A. 13, 26). Cum ancilla igitur ista, humillimo loco nata, miles, dum mullo, exquisitissimo cibo, h. e. Acroteleutio ipsa, careat, libidinis suae explendae cupidissimus est.

Pseud. 63: Dulce amarumque nunc misces mihi. *Ca.* quod e Platonis Phileb. p. 46c: ‚*τὸ δὴ λεγόμενον πικρῷ γλυκὺ μεμιγμένον*' Plautus desumpsisse Iunio cent. III, 2 videtur (cf. Erasm. p. 1055).

Semel vero Graecum proverbium ipsum, haud Latine versum, Plautus orationi immiscet:

Stich. 707: Cantio Graecast: *ἢ πέντ' ἢ τρία πῖν' ἢ μὴ τέτταρα.* *St.*

quod proverbium fuisse et Athenaeus 10, 426d et Plutarch. Quaestt. sympos. III, 9 p. 657 testantur.

Capt. prol. 22: Di nos quasi pilas habent.

bene congruens cum Platonis dicto Polit. p. 289b: *θεῶν παίγνια ἄνθρωποι.*

Ex talorum et latrunculorum usu haec derivata sunt:

Adelph. 739: Ita vitast quasi quom ludas tesseris. *Mi.* qua comparatione eadem Alexis (Mein. III, p. 399) usus est: *τοῦτο τὸ ζῆν ἐστιν ὥσπερ οἱ κύβοι.* Cf. Plut. Morall. p. 469 D. Huic confine est, quod legitur apud Plautum Poen. IV, 2, 85 itemque

Trin. 537: ut ad incitas redactust. *St.*

In hoc ludo, a Graecis ‚*ζατρίκιον*' vocato, quem accurate declarat et explicate illustrat Salmasius Scriptt. hist. August. II, p. 739 sqq., ‚inciti' calculi dicebantur, qui non moventur nec moveri possunt. Lusor autem, qui plurimis calculis spoliatus ad incitas calces redigitur, infelix est et in summam rerum desperationem adducitur. Hinc igitur hoc proverbium petitum, in eum egregie convenit, qui in summa rerum difficultate consiliique inopia ita versatur, ut inde expediri nullo modo possit. Graecis autem par fuit proverbium hoc, apud Theocrit. Id. VI, 18 obvium: ‚*καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον*', quam phrasin Reiskius, provocans ad Schol. Pind. Pyth. IX, 210, a saxo, pro meta in stadii linea posita, petitam esse per errorem iudicat. Recte huius proverbii fontem esse illum ludum, cuius modo mentionem feci, et vetus

Scholiasta ad Theocriti locum et Eustath. ad Hom. Il. *Z*, 168 p. 633, 58 et alii prodiderunt memoriae. Conferas velim Diog. 5, 41 et quae ad h. l. editores Gotting. adnotaverunt. Proverbio quod modo tractavimus, proximum est, si eius sensum respicias, hoc, quod habet Plautus in Pseud. 88, Terentius in

Phorm. 686: Ad restim res redit mihi. *An.*

et in quo Caecilius Synepheb. (cf. Ribb. frgm. com. p. 60) facete ludit. Apud Graecos autem simile proverbium valuisse docemur ab Antiphane (Mein III p. 52): *πλεῖς τὴν θάλασσαν σχοινίων πωλουμένων*, vel (Mein III, p. 110 v. 5) ‚*ἀποπνῖξαι βρόχος*‘, quibus locis *σχοίνια* et *βρόχος* indicantur ut instrumenta vitae finiendae aptissima et desperationis summae remedia.

Cist. I, 1, 104: Nihil amori iniuriumst *Le.*

Sensum huius proverbii Acidalius recte perspexit, ita explicans: ‚Amori periurium pro nihilo est‘ h. e. nihil curant amantes iusiurandum datum. Hoc enim lenae resposum optime quadrat in id quod Silenium narravit, Alcesimum conceptis verbis iurasse (v. 99), se ipsam in matrimonium ducturum esse. Infamis vero et valde suspectae amantium fidei testimoniis plenissima sunt et Romanorum elegiacorum poetarum carmina nec Graecorum sermo vacat, uti videmus Platonis Conviv. 183b: *Ἀφροδίσιον γὰρ ὅρκον οὔ φασιν εἶναι* et Greg. Cypr. L. 1, 1 et Diog. 3, 37: *Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος.*

Sed huiusmodi adagiorum copiam exsecuti ad aliud genus transeuntes ea dicta proferamus, quae ex humanarum rerum hominumque ingenii ac morum observatione petita sententias generales et universo hominum generi convenientes produnt. Continentur enim eis leges vel praecepta, quae vitae humanae bene instituendae beateque agendae inserviunt. Inter quem ordinem haec proverbia pono:

Stich. 320: Tua quod nil refert ne cures. *Pi.*

quam eandem sententiam deprehendimus apud

Ter. Hec. 810: Tua quod nil refert, percontari desinas. *Ba.*

et paululum variatam in Mil. 994 et Truc. I, 2, 41, cognatam

illi, quae Menandri auctoritate fertur (Sent. Mon. 448 et 453): *πολυπραγμονεῖν ἀλλότρια μὴ βούλου κακά.* Cf. Platon. de rep. 433D et Mant. Provv. 2, 8.

Pers. IV, 3, 78, prorsus respondens Terentiano

Heau. 210: Scitumst periclum ex aliis facere, tibi quid
ex usu siet. *Ch.*

Fortasse huc pertinet Apost. 6, 97: *ἐκ τῶν γειτόνων ἔχουσι τὸ παράδειγμα.*

Porro privatae utilitatis studium hominibus his proverbiis commendatur:

Andr. 636: Proximus sum egomet mihi *Ch.*

* et Andr. 427: Verum illud verbumst, quod dici solet,
Omnes sibi malle melius esse quam alteri. *By.*

ubi Donatus hunc locum expressis verbis tamquam proverbium laudans, prioris illius sententiae naturae proverbiali adnuere videtur. Ceterum similes Graecos locos Erasmus I, 3, 9 ex Menandro (Mein. IV p. 355) et Euripidis Medea v. 86 affert: *ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ*, cui addendus est Aristot. Eth. Nic. 1159 a 12. Atque exiguo intervallo distat, quod in Trin. 1154 legitur:

Tunica propior palliost. *Ly.*

cui, quod ad sententiam attinet, propinquum est, quamvis verbis sane diversum, hoc Graecum: ‚*γόνυ κνήμης ἔγγιον*‘ (cf. Zen. 3, 2 et schol. ad Theocrit. Id. 16, 18. Definitius autem pronuntiatum idem reperitur in Truc. II, 4, 62:

Ad suum quemque aequomst quaestum esse callidum. *Ph.*

quem locum Leutschius ad Mac. 6, 98: *πάντ᾽ εἰς τὴν κερδαίνουσαν πήραν ὠθεῖν* adhibet.

Alia huiusmodi praecepta continentur his:

Andr. 305: Quoniam non potest id fieri quod vis,
Id velis quod possit. *By.*

quod idem, a Caecilio usurpatum (Ribb. frgm. com. p. 56) philosophi insigniter frequentaverunt, velut Plato Hipp. mai. p. 453: *οὐχ οἷα βούλεταί τις, φασὶν ἄνθρωποι ἑκάστοτε παροιμιαζόμενοι, ἀλλ᾽ οἷα δύναται.* Hanc sententiam, leviter mutatam, poeta proverbii nota diserte interposita repetit in Andr. 805:

* Ut quimus a i u n t, quando ut volumus, non licet *My.* quod analogiam habet in Graeco hoc: Diog. 4, 100: *ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.*

* Adelph. 431: Ut homost ita morem geras. *Sy.* Idem Graeci significabant verbo ‚*ἀκολουθεῖν*' vel *χαρίζεσθαι.* Vide Andoc. Alcib. 31, 35. Xenoph. Memor. 2, 9, 3: *χαριζόμενον οἵῳ ἀνδρί.* Item Plautus in Most. III, 2, 36.

Andr. 309: Facile omnes, quom valemus, recta consilia
aegrotis damus. *Ch.*

Similiter loquitur Aeschylus in Prometh. 265:

ἐλαφρον, ὅστις πημάτων ἔξω πόδα
ἔχει, παραινεῖν νουθετεῖν τε τὸν κακῶς πράσσοντ'.

et Menander (Mein. Men. et Phil. reliq. p. 22).

Heau. 422: Quod vulgo audio
Dici, diem adimere aegritudinem hominibus *Me.*

id quod reddit Graecam paroemiam hanc (Greg. Cypr. 3, 65): ‚*σύμβουλός ἐστιν ὁ χρόνος τῶν πραγμάτων*'. Philippides (cf. Apost. 12, 55a) hanc ei formam dedit: ‚*ὁ κοινὸς ἰατρός σε θεραπεύσει χρόνος*', Diphilus (Mein. IV, 426) hanc: *λύπης δὲ πάσης γίγνετ' ἰατρὸς χρόνος.*

* Andr. 778: Fallacia alia aliam trudit. *Da.* quod non est dubium, quin ad Graecum hoc exemplum conformatum sit: ‚*ὕβρις ὕβριν ἔτικτε*' Cf. Greg. Cypr. 3, 86 Aesch. Pers. 823 Agam. 732.

Phorm. 203: Fortis fortuna adiuvat. *Ge.* Hoc autem Graeci alii aliter significaverunt, velut Menander (Mein. IV, 249) ita: ‚*τόλμῃ δικαίᾳ καὶ θεὸς συλλαμβάνει*', similiter Eurip. frgm. 3. Vide etiam Apost. 15, 92 citantem usitatissimum illud: ‚*τὰν χεῖρα ποτιφέροντα τὰν τύχαν καλεῖν*'.

* Andr. 380: Dictum ac factum. *Da.* eodem modo iam ab Ennio Annal. lib. IX usurpatum et ad similitudinem Hom. Il. T. 236: ‚*ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον*' ut videtur, compositum. Cf. etiam Herod. III, 135 et Zen. 1, 77.

Truc. IV, 2, 21: Ex malis multis malum quod minumumst
id minumest malum

quocum recte videtur comparari posse, quod legitur apud

Aeschylum Suppl. 1039: *τὸ βέλτερον κακοῦ καὶ τὸ δίμοιρον αἰνῶ.* Vide Stanleium ad h. l.

Trin. 63: Nota mala res optumast. *Me.* Haec sententia, quae proverbialem speciem habet, uno versu interiecto definitius sic iterata:

‚Edepol proinde ut diu vivitur, bene vivitur'

et a Livio XXIII, 3, 11 hac forma tradita: ‚Notissimum quodque malum maxume tolerabile', Aristoteli videtur originem debere, qui in similem modum saepius verba facit, velut Eth. Nic. 1179 b 35: *οὐκ ἔσται γὰρ λυπηρὰ συνήθη γινόμενα.* Alii loci sunt hi: Rhetor. 1369 b, 16. Metaph. 995 a 3.

Sed totum hunc Plautinorum versuum 59—60 continuatorum complexum, in quibus summi viri critici iniuria, uti mihi videtur, offenderunt, in examen ac iudicium vocare mihi liceat. Neque enim Bergkii nec Ritschelii versuum transpositione opus esse existimo nec Teuffelii suspicionem de interpolatis vv. 60 et 64 prolatam (Mus. Rhen. 30 p. 472—473) probare possum. Sed tralaticius potius sententiarum ordo, optime, si totum locum accuratius inspexeris, cohaerens, admodum tolerabilis esse videtur. Megaronides enim et Callicles senes de sua quisque uxore inter se queruntur. Sed cum ille aperte non de sua modo muliere, sed etiam de Calliclis uxore male cogitet, quippe qui gaudeat, quod amicus eodem malo vexatus sit, quo ipse (v. 54) simulat Callicles, multo meliorem esse Megaronidis coniugem quam suam (v. 57). Itaque statim paratus est, suam pro amici uxore commutare, quia se quidem nil detrimenti facturum esse ingenue fatetur (v. 60). Ad quod Megaronides, amici simulatione deceptus: Ex mea quidem uxore fortasse recte confidis fructum quendam in te redundaturum esse, sed ego vereor, ne hac commutatione facta a te imprudens in fraudem malam iniciar. Tum respondet Callicles, ludens in ambigua voce ‚imprudens': Qui tu es imprudens? quandoquidem perbene scis, quid egeris (v. 62). Sed huius iocosi sermonis finem facturus Megaronides v. 63 repudiat propositam commutationem, re vera quidem imprudenter se acturum fuisse, v. 64 affirmans et hanc imprudentiam explicans. Sic enim rite omnia procedere videntur.

Haud igitur languidam aut inanem putans sententiam versūs 60, sed peraptam ad persuadendum Megaronidi de praestantia ipsius mulieris, neque supervacaneum ratus versum 64, quo ad Calliclis iocum et ironiam, versu 62 prolatam, respondetur, non patiar, hos versus tamquam spurios eiciendos esse, simul, quod ad v. 64 attinet, illius Plautini moris ratione habita, quo proverbio vel generali sententiae enuntiatum causale aut affirmativum subicere solet (cf. p. 49). Verbi ‚capere‘ autem usus in aequali re adhibiti, defenditur Menae I, 3, 19. Atticam vero elegantiam, quam in collocatione versuum a se proposita, admiratur Brixius, ipse Plautino sermoni infert. Nam non inesse eam, versus 63 et 64 docent, qui dialogum senum, singulis versibus inter se collocutorum, aperte turbant. Quomodo vero v. 60 post v. 61 collocatus responsioni a Brixio commendatae conveniat, ego quidem non perspicio.

Totum denique senum de mulieribus institutum colloquium aptissime clauditur v. 65: ‚Proinde ut diu vivitur, bene vivitur‘. recepta sane Acidalii adverbiorum ‚diu‘ et ‚bene‘ transpositione, quorum in libris ordo inversus est. Sed Lorentius (Nunt. erud. Gotting. a. 1868 p. 1193) hunc versum, ex alio loco (fortasse a v. 56 vel 57, ad quem haec similis sententia ab interprete haud immemori ascripta esset), huc illatum esse suspicatus, sine iusta causa, opinor, deleri vult. Etenim quibus huius rationis argumentis utitur, minime ad eam probandam satisfaciunt. Optime enim Callicles — nam hunc multo magis decet, hoc dicto ironice pronuntiato colloquium finire, quam Megaronidem — ad amici generalem sententiam simili proverbiali locutione fere ita respondet: ‚Nimirum recte tu dicis, nam ea profecto vivendi ratio, cui per aetatem nos assuefecimus, bona tandem videtur et placet‘.

Haec autem generalis sententia nec requirit accuratam significationem personae vel rei, quacum una vivatur — id quod Lorentius satis mire desiderat — quia universe modus vivendi indicatur (proinde — ut), non singulatim necessitudo inter personas quasdam inita; et apte antegressam Megaronidis vocem (v. 63) confirmat. Quapropter

totum hunc locum servato versuum ordine, qui in libris est, aptum sensum admittere neque vel transponendi vel eiciendi ullam necessitatem esse cum Fleckeiseno iudico.

Aperui meam de hoc loco sententiam. Iam redeo ad id, unde sum evagatus. Itaque liceat mihi, nonnulla proverbia, quae non sub certum quoddam genus eius ordinis quem supra disposui, cadunt, hoc loco afferre. Sunt autem haec:

Amph. 738: ‚Somnium narrat tibi‘ *So.*
et similis argumenti

Heau. 222: ‚quam mihi nunc surdo narret fabulam‘ *Cl.*
quibus respondent fere Greg. Cypr. M. 4, 89: *παρὰ κώφῳ διαλέγῃ* et Apost. 12: *ὄναρ λέγεις ἢ γρίφον.*

In eorum vero proverbiorum, quae adhuc tractavimus, societatem nunc ea vocanda videntur, quae, etsi ad sententiarum, quas ‚*γνῶμαι*‘ dicunt, similitudinem prope accedunt, nihilo tamen minus proverbialem habent potestatem, quandoquidem ab optimis populi viris, vel philosophis vel poetis quondam prolata, universi populi proprios mores atque ingenia attingunt, ita ut non ex unius hominis, sed ex universi vulgi animo fluxisse videantur. Itaque recte me in hoc numero collocare existimo quae sequuntur:

Bacch. 816: Quem di diligunt, Adulescens moritur, dum
valet, sentit, sapit. *Chry.*

quae sententia Menandro deberi videtur, idem in fabula: ‚*δὶς ἐξαπατῶν*‘ ita praebenti: ‚*ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσ᾽ ἀποθνήσκει νέος*‘ (Mein. Men. et Phil. rell. p. 48). Cf. Apost. 12, 81 a.

Pseud. 685: Certa amittimus, dum incerta petimus. *Ps.*
in quem versum hoc Hesiodi frgm. 186 (Goettl.) apprime convenit: ‚*νήπιος ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει*‘. Cf. etiam Apost. 12, 97c et Xen. Cyrop. 6, 2, 13.

Poen. I, 2, 29: Hoc unum tamen cogitato:
Modus omnibus in rebus optumumst habitu. *Ad.*
Simile autem est illud, quod, ab uno ex Septem Sapientibus receptum: ‚*μηδὲν ἄγαν*‘ (cf. Greg. Cypr. L. 2, 79, ubi Leutschius hac de sententia, a plurimis scriptoribus frequentata, uberius disserit) usurpavit Terentius et in Andr. 61: ‚nequid nimis‘ et in Heau 519.

Phorm. 138: Quod fors feret, feremus aequo animo. *Ge.* Confine hoc Graecum extat: *τὸ φέρον ἐκ θεοῦ καλῶς φέρειν χρή*' (Append. 4,98).

Heau. 923: Foris sapere, tibi non potis esse auxiliarier. *Me.*

Haud dissimile est dictum, quod Apost. 2, 26 ex Euripide affert: ‚*ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων*'. vel quod, cum nostro loco magis congruens, in Menandri Mon 332 legitur: ‚*μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.*' Terentium autem iam Ennius praeivit, idem proverbium his verbis usurpans:

Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequiquam sapit (cf. Ribb. frgm. trag. p. 41).

Trin. 363: Sapiens quidem pol ipsus fingit fortunam sibi. *Ph.*

quocum nescio an recte conferri possit illud Cratini (Mein II. p. 113): ‚*ἄνδρας σοφοὺς χρὴ τὸ παρὸν πρᾶγμα εἰς δύναμιν τίθεσθαι.*' Cf. Plat. Gorg. 499 c.

Phorm. 454: Quot homines tot sententiae: suus cuique mos. *He.*

qua sententia poeta videtur Hom. Od. ξ, 228: ‚*ἄλλος γὰρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις*' imitari. Ad hunc autem locum magna sententiae similitudine accedit

Stich. 693: Suum quemque decet. *St.*

cui Pittaci vel Chilonis vocem: ‚*κατὰ σαυτὸν ἔλα*' a Callimacho eprigr. I, 16 adhibitam, haud inepte comparaverim. Eiusdem sententiae identidem variae formae apud utrumque poetam inveniuntur, quarum similes Graecas quoque Erasmus I, 3, 7 profert.

Bacch. 144: Sperat quidem animus: quo evenat dis in manust. *Pi.*

quod ex Pindari Ol. 13, 104 videtur expressum: ‚*νῦν δ' ἔλπομαι μέν, ἐν θεῷ γε μὰν τέλος*'. Notissimum est illud quoque, ab Homero Il. 17, 514 saepiusque usurpatum: ‚*θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.*'

Sed de Terentianis, quae restant proverbiis, quatenus sub hoc genus cadunt, infra aptior erit locus, ubi mentionem faciam. Itaque proximum est, ut ea exempla in medium proferam, ubi commemoratione fabularum, ad mythologiam

pertinentium, aut denominatione virorum illustrium vel rerum ab eis praeclare gestarum proverbia vel proverbialia fiunt. E quo genere haec adnotavi:

Trin. 208: Sciunt quod Iuno fabulatast cum Iove. *Me.*

a Plauto scurris tributum, quod simili modo Theocritus Id. 15, 64 de mulieribus dixit: ‚*πάντα γυναῖκες ἴσαντι καὶ ὡς Ζεὺς ἀγάγεθ' Ἥραν.*'

* Eun. 732: Verbum hercle hoc verum erit: sine Cerere et Libero friget Venus. *Ch.*

quod attingit Aristoteles Probb. 953 b 30: ‚*καὶ ὀρθῶς Διόνυσος καὶ Ἀφροδίτη λέγονται μετ' ἀλλήλων εἶναι*' (cf. Apost. 4, 58, ubi Leutschius scriptores, qui hoc verbum usurpaverunt, affert). Magis autem Latinae formae congruum est id, quod Apost. 12, 2 nescio unde sumptum praebet: ‚*νεκρὸν Ἀφροδίτη Διονύσου δίχα καὶ Δήμητρος.*'

* Eun. 1085: Satis diu iam hoc saxum vorso. *Gn.*

Hic enim Terentius ad Sisyphi fabulam alludere videtur.

Pseud. 102: Non pluris refert, quam si imbrem in cribrum ingeras. *Ps.*

ex Graeci proverbii analogia compositum, quod Mac. 5, 20: ‚*κοσκίνῳ ἀντλεῖς*' vel Apost. 9, 91: ‚*κοσκίνῳ ὕδωρ φέρεις*' tradunt, e fabula Danaidum, apud inferos hoc supplicium ferentium, mea quidem sententia derivatum.

Virorum autem excellentium nominibus, qui quidem propter insignem aliquam causam in lucem famamque provecti sunt, saepissime uterque poeta proverbialiter utitur. Veluti Plautus hoc modo mentionem facit T h a l i s in Rud. 1003 et alibi (cf. Aristoph. Av. 1010. Nub. 180), U l i x i s in Pseud. 1063 (cf. Mac. 6, 20 adnot.), C a l c h a e in Merc. 5, 1, 104 (cf. Soph. Ai. 746 et ad h. l. scholiastam), T i t h o n i in Menae. V, 2, 101 (cf. Zen. 6, 18), B e l l e r o p h o n t i s in Bacch. 810.

Accedunt denique provv. quae a locorum quorundam aut incolis ipsis aut eorum propriis sive laudibus sive vitiis captantur. Quod genus cognosces his.

Cas. V, 4, 1: Mores Massilienses. cf. Apost. 6, 69.

Asin. 199: Graeca mercamur fide.

Haec verba, ab Erasmo I, 8, 27, Turnebo, aliis, perperam accepta de certa fide, vel Iunius Adag. 7, 85, in cuius partes Rostius Opusc. I, p. 149 abiit, recte vidit significare dubiam et vanam fidem, ‚quae nulla est nisi praesente pecunia oculitus creditori satisdatur'. Hanc autem fidem Graecam, male audientem, non solum serioris aetatis scriptores velut Cicero or. pro L. Flacco 4, 9 et Polybius lib. VI p. 498 (Casaubon. edit. a. 1609) sed etiam ante eos Euripides Iph. Taur. 1205: ‚*πιστὸν ʽΕλλὰς οἶδεν οὐδέν*' acriter castigaverunt (cf. Diog. 2, 80).

In Hec. 433 et 801 Terentius de ‚Myconio hospite' verba facit (cf. Zen. 5, 21: ‚*Μυκώνιος γείτων*'), iocose et facete illud vulgare et ab Apollodoro usurpatum ‚*φαλακρός*' in contrarium ‚crispus' invertens, id quod etiam Donatus laudat. Eodem modo Terentius in Eun. 1083 de ‚Attica elegantia' et Plautus Cas. III, 5, 24 de ‚Attica disciplina' proverbialiter loquuntur. Cf. Plut. Morall. 79d: ‚*τὸ Ἀττικόν*. Denique huc referendum est proverbium, ex nota illa a Plutarcho Pelopid. 10 de Archia tradita narratione ortum, a Plauto in Poen. II, 1, 51 collocatum:

Res serias Omnes extollo ex hoc die in alium diem. *Ly.*
ex hoc sine dubio expressum: ‚*ἐν ἀοῖ τὰ σπουδαῖα.*' Cf. Append. 2, 58.

Addo Poen. V, 2, 48: ‚Zonam non habes' *Mi.* idem fere valens atque: ‚zonam perdidit', quod a Graeca quadam fabula de athleta, qui follem perdiderat, tractum esse Acron ad Hor. epist. II, 2, 40 admonet.

His proverbiis allatis et pertractatis superest, ut proverbiales quas dicunt, locutiones, a Graecis non minus quam a Romanis frequentatas, enumerem. Quae quidem loquendi formulae profectae sunt ex more illo hominum notissimo, in significanda aliqua re etiam contrariam rem statim adiciendi: quo pleniore additamento id agunt, ut rem omnibus numeris absolvant atque quam dilucidissime exprimant. Usum igitur harum locutionum, quae constant aut contrariarum vocum conexu aut eiusdem vel similis vocis iteratione, magnis in deliciis habitum esse comicis, notissimum est

atque ingens extat earum numerus. Sed ex nube exemplorum ipsis verbis satis sit adscribere haec:

Bacch. 791: Nescio etiam id quod scio. *Ch.*
quod idem Antiphanes Probl. v. 11 (Mein. III, p. 109) sic praebet: ‚*ὅσα γὰρ οἶσθ᾽ οὐκ οἶσθα νῦν*' et Terentius
Eun. 722 usurpat: ‚Si sapis, quod scis nescis'.
Sed de lectionis postremi huius versus integritate dubitationem movit Madvigius (Advers. crit. II p. 13) qui, formam ‚nescis' ferri posse negans, ‚nesci' reponendum esse censuit. Sed non est me iudice, cur a tradita scriptura, cum dicendi more congruenti, recedamus. Nam non imperat vel suadet Pythias, quae est ipsa quoque ancilla, sociae, ut dissimulet quod sciat, sed dicit simpliciter id, quod optumum factu sibi videatur. In suam autem sententiam ut quemque hominem prudentem abire Pythias existimat, ita Doriam, nisi forte insipiat, discessuram esse pro certo et habet et confirmat. Praeterea huic dicendi rationi praesidium paratum est exemplo illo, huic prorsus congruo: Heau. 748:
‚Tu nescis id quod scis, Dromo, si sapies'
quod doctum hominem fugisse satis mirum est.

Eun. 192: Praesens absens ut sies. *Ph.* (Appendic 4, 55: *παρὼν ἀποδημεῖ*).

Adelph. 990: Iusta iniusta (*δίκαια κἄδικα*).

Andr. 214: Quo iure quaque iniuria (*δικαίως κἀδίκως*).

Hec. 315: Rursum prorsum (*ἄνω κάτω*), quam proverbialem locutionem Menandrum eximie adamasse Meinekius (Men. et Phil. p. 176) notat.

Andr. 161: Manibus pedibusque (Pind. Ol. X, 7, 3: *καὶ χειρὶ καὶ ποδί*).

Asin. 729: Nec caput nec pes sermonum. Simile est illud Platonis: *ἀκέφαλος μῦθος* (Zen. 1, 59).

Andr. 658: Tu coactus tua voluntate es. *Ch.* (Append. 2, 51: *ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ*).

Adde postremo proverbialia haec: Memorem mones; doctum doces; occupatos occupas; similia, quae et Latine et Graece Erasmus I, 2, 12 affert.

Tales autem locutiones, quarum proprietates modo adum-

bravi, quatenus quidem apud Terentium exhibentur, proverbiales esse Donatus et existimat et diserte fere adnotat; nam interdum sane sub una nota eas comprehendens semel rem absolvit, id quod ipse ad Adelph. 990 commemorat: ‚Proverbiales sunt huiusmodi elocutiones: Fanda nefanda; digna indigna; velis nolis'. — Atqui nonnulla exempla, etsi non intra hos fines a Donato constitutos locum habent, tamen huius grammatici notā, ut: ‚Proverbiale est' instructa videntur. Sed, si quid video, videntur tantum. Nam adnotatio, quae ad Eun. 268: ‚Salva res est' adcripta invenitur, non est me iudice Donati, sed alius cuiusdam scholiastae.

Neque enim solet germanus Donatus prius sententiam loci explicare, deinde proverbialem eius naturam testari; sed contrariam alioquin sequitur rationem. Idem cadit in Andr. 845:

Omnis rest est iam in vado. *Da.*

ubi illud vocabulum: ‚Proverbiale' in sententia denuo repetita — non a Donato sed ab alio, ut patet, scholiasta — demum legitur. Neque etiam scholion ad Andr. 190: ‚ut redeat iam in viam'. aut ad Phorm 79: ‚Scisti uti foro' propter eandem causam suspectum, a Donato profectum esse crediderim. Sed de tota hac quaestione Schopeni de Terentio et Donato dissertatio (Bonnae 1821) inspicienda est.

His autem in transcursu de Donati commentandi ratione praemonitis, de qua infra, quatenus ad nostram rem facit, quaestio ac disputatio accuratius nobis instituenda erit, ad extremum uno verbo proverbiales illas hyperbolas, et Romanis et Graecis satis familiares, significare mihi liceat, quae summum gradum vilitatis indicant. Quales sunt hae:

Non flocci (pili, nauci) facere; pluma haud interest; ne γρῦ quidem; non mu, cet. quarum quidem plurimas Erasmus I, 8,2—14 etiam Graece enumerat. Huc spectant praeterea locutiones, quae de nummis quam minimis ad designandas res vel personas nullius pretii sumuntur. Exempli gratia accipe Poen. II, 1, 17: homo trioboli' et Graecum: *‚τέτταρων ὀβολῶν ἄξιος‘* (Apost. 16,35).

Verum omnia fere haec proverbia omnesque figuras proverbiales hucusque tractatas etiam Graeco sermone tritas

vulgoque iactatas fuisse ex eis locis apparet, quos aut ex Paroemiographis aut ex aliis scriptoribus Graecis collectos Plautinis Terentianisque proverbiis adscripsi. Haec igitur provv. utrumque poetam aut eādem forma comprensa, quam Graece apposui, aut simili in Graecorum poetarum exemplis legisse et aut accuratius aut liberius Latine reddidisse, si non firmis testimoniis demonstrari potest, at magnam habet probabilitatis speciem. Itaque ea proverbia, quae hucusque protuli, ex Graeco sermone originem traxisse haud cunctanter confirmaverim. Atqui restat apud utrumque poetam haud exiguus proverbiorum numerus, quibus, quamvis dedita opera circumspexerim, paria vel similia Graeca in comparationem vocare nullo modo possum. Quamobrem haec quidem ex Romano fonte fluxisse satis proclivis est coniectura; quod itane sit, ipsorum exemplorum conspectu fortasse cognoscetur. Ea igitur, quae nunc quidem, eandem ac supra dispositionem retinens, enumerabo proverbia, mecum velim consideres:

Most III, 2, 212: Sibi quisque ruri metit. *Th.*

quod prov. aliunde non est cognitum.

Mil. 321: Mirumst lolio victitare te tam vili tritico. *Sc.*

Aul. V, 10: Quid repperisti? Non quod pueri clamitant in faba se repperisse. *St.*

Hoc proverbium, quod Plautus respicit in

Rud. 1325: Curculiunculos minutos fabulare'.

a ioco, pueris Romanis usitatissimo, tractum explicat Gronevius Lectt. Plaut. p. 62.

Curc. 197: Noli amabo verberare lapidem, ne perdas manum. *Pl.*

Pers. I, 1, 42: Aquam a pumice postulas qui ipsus sitiet. *Sa.*

Capt. II, 2, 86: Tam hoc quidem tibi in proclivi quam imber est, quando pluit. *Ph.*

Men. V, 9, 30: Neque aqua aquae neque lactest lactis similius. *Me.*

Most. III, 2, 104: Si voles hoc verbum cogitare:
Simul flare sorbereque haud facilest. *Tr.*

Men. II, 3, 44: Mulier canterino ritud astans somniat *Me.*

quod Plautus aliter repetit in Capt. IV, 2, 86, Pseud. 386, alibi, Terentius habet in Andr. 971.

Poen. V, 4, 64: Etiam me meae latrant canes? *Ad.* Ductum est hoc prov., ut recte explicat Gronovius l. l. p. 193, a canum consuetudine, alienos tantum allatrandi et mordendi, dominis autem comiter blandiendi.

Epid. IV, 2, 9: Aliter catuli longe' olent, aliter sues. *Mi.* Bene utitur hac similitudine Philippa ad Fidicinam acerbe deridendam et contemptim repudiandam, quam tanto inferiorem esse germana sua filiola praedicat, quanto suem catulo lepidissimo.

Cas. V, 4, 11: Hercle opinor (reapse experior) ego illud vetus:
Hac lupi, hac canes.

Sic enim recte mihi videtur Bergkius (Philolog. XXXII p. 566) ex sententiarum conexu proverbium illud, quod scholiasta ad Hor. Sat. II, 2, 64 testatur, huic versui restituisse.

Trin. 410: Non hercle minus divorse distrahitur cito,
Quam si tu obicias formicis papaverem. *St.*

Ad nautarum vel piscatorum negotia haec referenda sunt proverbia:

Andr. 845 (cf. p. 32) quod etiam Plautus Aul. IV, 10, 77 habet, eiusdem fere argumenti atque

Andr. 480: Ego in portu navigo. *Si.*

quocum Erasmus I, 1, 46 confert: *ἐν λιμένι πλεῖν,* sed unde hoc deprompserit, ego invenire non potui. Reperitur sane eiusmodi aliquid apud Apost. 6, 70d: ‚*ἐς λιμένα*' et apud Zen. 2, 10: ‚*Ἀττικὸς εἰς λιμένα*' sed ab hoc proverbio longe distans.

Asin. 99: Iubeas una opera me piscari in aere
[Et] venari autem reticulo in medio mari. *Li.*

Ad urbana porro negotia sive opificum sive argentariorum, sive aliorum spectant haec:

Aul. III, 4, 12: Exemi e manu manubrium. *Eu.*

Epid. III, 4, 90: Malleum Sapientiorem scilicet esse manubrio. *Pe.*

Epid. III, 2, 35: Vorsutior es quam rota figularis. *Ch.*

Pseud. 989: Purus putus est ipsus. *Ba.*

quod Erasmus IV, 10, 30 ex aurificum officinis ortum esse putat. Ceterum Ennius quoque in Alexandro (cf. Ribb. frgm. com. p. 19) huic proverbio patrocinatur.

Rud. 1306: Acu tetigisti. *La.*

quod videtur ab arte medicorum sumptum, qui hoc instrumento in vulneribus explorandis utebantur (cf. Apulei. Met. 8 p. 543).

Cist. II, 1, 30: Inter novam rem verbum usurpabo vetus:
Quod dedi, datum non vellem: quod reliquomst, non dabo. *Me.*

a creditoribus, plura credere nolentibus, hoc desumptum et ad eos, qui amicitiam renuntiaverunt, translatum esse recte coniecit Boxhornius.

Pseud. I, 2, 22: Sic datur. *Le.*

Sensus huius formulae, a Terentio Phorm. 1027, a Plauto saepius adhibitae, a Grutero recte explicatus videtur. Vide Brixium ad Menae. III, 2, 7 Plautina exempla enumerantem.

E forensibus rebus haec petita sunt: Phorm. 79 (cf. p. 32). Sed Most. V, 1, 10:

Ubi ego video rem vorti in meo foro. *Tran.*

quem versum Forcellinus, Lambinum secutus, proverbii loco habet, de eo usitati, qui recusare non potest, quominus iudicium subeat, non esse proverbium, sed metaphoricam locutionem recte demonstravit Rostius Opusc. I, 137, usurpatam a Tranione, qui quidem, sicuti vv. 8 et 9 coeperat, per imaginem de senatu convocato loqui, ita concilio illo segregatus, semet ipsum iudicem vocat (v. 10), a cuius unius arbitrio pendeat, quid faciendum sit, quid non.

Trin. 317: Sarta tecta tua praecepta habui. *Ly.*

Quid significet: ‚Sarta tecta (tueri vel exigere)' omissa particula ‚et', bene intellegunt huius loci interpretes, et hac formula uti solitos esse in locationibus publicorum operum magistratus Romanos Gronovius l. l. p. 341 compluribus exemplis diligenter illustrat. Nostro igitur loco haec locutio translata est ad Lysitelem filium, qui patris praecepta tamquam aedificium hereditate acceptum per omnem aetatem a

putrescendo vel pereundo se diligentissime servasse haud mediocriter laetatur.

Heau: 796: Verum illud Dicunt: ius summum saepe summast malitia. *Sy.*

Capt. III, 4, 84: Nunc ego inter sacrum saxumque sum. *St.*

E gladiatoriis ludis hae locutiones in proverbiorum formas abierunt:

Most. III, 2, 26: ‚Hoc habet‘ in eum adhibitum, qui ab adversario vulnere afflictus erat. Quod idem legimus in Ter. Andr. 83.

Poen. I, 2, 122: Et oleum et operam perdidi. *Anc.*

Quibus adde: Truc. IV, 1, 8: Mea pilast. *Din.*

Huius proverbii a lusu pilarum deprompti Dinarcho adolescenti opportune in mentem venit, cum, excluso milite, exsultet, quod ipse quasi superior discesserit et ad se unum totus ludus delatus sit, in quo solus regnet neque alieno sed suo moderamine et arbitrio res geratur. Sperat enim, Phronesium iam ipsi uni copiam sui facturam esse.

In Phorm. 522: Da locum melioribus *Do.*
solemnis lictorum formula inesse videtur, quam Livius III, 48 exhibet: ‚Lictor, submove turbam et da viam domino‘. Talibus autem formulis Terentius saepius usus est, velut hac ex more sacrorum translata:

Phorm. 1026: Exsequias Chremeti quibus est commodum ire hem tempus. *Ph.*

Erat haec formula praeconis in funere indicendo usitata, quae quidem propter frequentem usum in vulgi consuetudinem ac proverbium venisse videtur. Cf. Gronov. Observatt. Ter. 519. Alia Romanis familiaris formula de re funebri translata proverbialiter utitur poeta in

Eun. 348: iam conclamatumst *Pa.*
qua de locutione vide quae Ruhnken ad h. l. exposuit.

* Phorm. 768: Ita fugias ne praeter casam, quod aiunt. Haec est tralaticia versus forma, sed num vera sit, equidem dubitaverim, in voce ‚casam‘ aliquid vitii latere ratus, cum ne Gronovius quidem (Nott. in Terentium p. 208), a fugiti-

vorum servorum more hoc dictum petens, mihi persuaserit, similitudinem hanc recte ad deridendam Demiphonis simplicem humanitatem adhibitam esse aut rite sententias procedere, tum Terentiani senes (cf. infra p. 46) proverbium talis argumenti alioquin minime ad se transferunt. Graecum proverbium, huic respondens frustra quaesivi; nam Luciani locum, quem Erasmus p. 508 huc refert: ‚παρὰ τὴν θύραν εἰσβιάζεσθαι a nostro exemplo prorsus alienum esse nemo non videt

Generalior sensus subest his:

Curc. 460: Qui monet quasi adiuvat. *Ca.*
quod Erasmus, ut id hac opportunitate moneam, I, 6, 13 idem significare narrans atque illud: ‚paene plaustrum perculit‘ insigniter errat. Neque etiam hoc prov. sic interpretandum videtur cum Weisio, ut is, qui alteri consilium suppeditet, quasi particeps sit eius facti. Haec enim culpae societas levissimum esset argumentum, quo leno adduceretur, ut fide laesa virginem dimitteret. Simulat potius homo ille perfidissimus, se vereri de iureiurando fallendo neque omnino ipsum sua sponte illud facere in animum inducturum fuisse, nisi Lyconis admonitione adiutum. Illius autem consilium ipsi esse quasi auxilium, quandoquidem iam bene se rem coepisse ideoque dimidium facti habere confidit.

Phorm. 541: Dictum sapienti sat est. *An.*
quod, satis tritum, etiam in Pers. IV, 7, 19 occurrit.

Semel Plautus Romani hominis nomen proprium in proverbii formam redegit in Bacch. v. 123, scilicet ‚Poticii‘, de cinus genere vide quae Livius I, 7 vel IX, 29 et Festus p. 137 vel 217 (Müll.) narrant. — Res Romanas denique, memoria celebratas Plautus attingit Cas. III, 1, 10:

Dum memineris versus, quos cantat Colax: Cibo
Cum suo quiqui facito ut veniant, quasi eant Sutrium. *St.*

cuius proverbii originem et usum Festus s. v. ‚Sutrium‘ declarat.

Pseud. 1322: ‚Vae victis‘ *Ps.*
quod in proverbium venisse existimatur ex eo tempore, quo Brennus adversus Romanos hoc verbum fatale iecit. Cf. Liv. V, 48 Fest. s. v.: ‚ve‘.

Addo postremo loco, etsi non sub hoc genus cadit:

Trin. 1004: Nunquam temere tinnit tintinnabulum. *Ch.*

Ea igitur, quae in posteriore huius disputationis parte tractavimus, proverbia, uti supra monui, aptis Graecis exemplis, quantum ego quidem perspicere possum, prorsus carent. Iam vero, quamquam sane ex mero silentio Graecorum scriptorum — quorum testimonia, sicut tam multa et alia, per temporis iniquitatem fieri facile potuit, ut perirent — de Romana horum provv. origine nil concludi debet, accedunt tamen quaedam, quibus coniecturae meae probabilitas, certe quod ad Terentiana attinet, commendetur. Quam ad rem declarandam paulo accuratius in Donati vel scholiastarum commentandi rationem inquirendam exspatiari opus est. Nam eum commentarium, qui Donati fertur, non unius eiusdemque esse magistri, Schopenus ea dissertatione, quam p. 32 laudavi, certissimis argumentis in universum docuit. Sed singula, quae ad nostram disputationem pertinent, hoc loco in examen nobis vocanda sunt. Atque in proverbiis quidem significandis Donatus germanus hanc rationem sequitur, ut eis locis, quibus Terentius proverbii notam diserte addit, ipse quoque de proverbio distincte commemoret. Hunc autem morem, ubicunque proverbialis enuntiati natura ex poetae ipsius additamento apparet, Donatus diligenter retinet, nisi forte uno loco ad Andr. v. 805, quem proverbium esse iam ad Andr. 305 indicaverat, hoc iterum pronuntiare prudenter omittit. Cuius moris testimonio sunt hi loci: Andr. 305. 426; Eun. 732; Phorm. 419. 506. 768.

Sunt autem omnia haec, ut supra ostendimus, Graecae originis: quae, ut Terentius ipse, satis fidelis Graeci sui exempli imitator, expressit, diserte eorum proverbialem vim designans, ita Donatus, re vera proverbia esse ex Terentio suo perspicue intellegens, hoc sat certo definire non vitavit. Hanc autem observationem grammaticus ille ad reliqua provv. videtur transtulisse, ea tantum proprie tamquam provv. significans, quae in Graeco sermone proverbialem vim habere ei notum erat. Illa enim Terentiana provv., quae, a Donato distincta, supra asterisco instruxi, Graeco sermoni

deberi ibidem comprobasse mihi videor. Atqui offeruntur nonnulla, quae, etsi e Graeco sermone fluxerunt, tamen intacta a Donato relicta sunt. Sed haec non esse omnino proverbia putavit ille eam ob causam, quia a certis quibusdam auctoribus essent profecta. Etenim ipse ad Andr. 555:

Amantium irae amoris integratiost. *Ch.*

hoc dicit: ‚Sententia *γνωμική*, in qua a specie receditur et in omnes aliquid dicitur: *παροιμία* est autem s i n e   a u c t o r e   s e n t e n t i a‘, cui definitioni plane respondet haec Quintiliani sententia (Instit. V, 11, 41): ‚ea quoque, quae vulgo recepta sunt, hoc ipso, q u o d   i n c e r t u m   a u c t o r e m   h a b e n t, velut omnium fiunt‘. — Iam videmus igitur causam, cur Donatus haec, quae sequuntur, silentio praeterierit:

Eun. 276: Omnium rerum heus vicissitudo est. *Pa.*

cui dicto apte apponitur Alexidis illud (Mein. III, 399: ‚*μεταβολὰς δ'ἔχει ὁ βίος.*‘ Vide etiam Philemonem (Mein. IV, 31).

Eun. 987: Aliud ex alio malum. *De.*

quod Mac. 4, 100: ‚*κακὸν ἐπὶ κακῷ*‘ et V, 11: *κακὸν κακῷ ἕπεται*‘ inter provv. collocat, derivatum ex Hom. Il. *Π*, 111, T, 290, vel ex oraculo ab Herod. I, 67 tradito. Proverbialis autem usus huius dicti Donato notus esse debebat vel poterat, cum et Plautus Merc. IV, 4, 32 idem adhibuerit:

Nunc v e r u m   e g o   i l l u d   v e r b u m   e s s e   e x p e r i o r   v e t u s.
‚Aliquid mali esse propter vicinum malum.‘ *Ly.*

et Caecilius (Ribb. p. 47): ‚Quaeso ne ad malum hoc addas malum.‘

Adelph. 386: Istuc est sapere, non quod ante pedes modost,
Videre, sed etiam illa quae futura sunt Prospicere. *Sy.*

Hoc dictum, in Thalen pervulgatum, Plato Theaet. 174 A adnotat. Cf. Apost. 16, 7: ‚*τὰ ἐν ποσὶν οὐκ εἶδεν*‘ et Herod. 2, 131. Ceterum etiam Ennius idem ante Terentium usurpaverat (Ribb. frgm. trag. p. 35).

Phorm. 246: Quidquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro. *De.*

Quam sententiam praebet Menander (Apost. 16, 10 b): ‚*τὰ προσπεσόντα προσδοκᾶν ἅπαντα δεῖ ἄνθρωπον ὄντα.*‘ Pro

sententia, non proverbio, Donatus habet etiam Andr. 61: ‚nequid nimis' et Adelph. 804 (cf. p. 17), ubi prorsus praeter consuetudinem suam, etsi Terentius ipse proverbium praenuntiat, nil hac de re monet.

At restant his exceptis complura, etiam Graecis pervulgata, quae a generalium sententiarum specie prorsus abhorrent, neque tamen a Donato proverbii notis instructa sunt. Locos autem, qui huc quadrant, examinans nescio an fortasse rectam huius silentii causam detexerim. Praebent enim hi loci non meram ac puram proverbii formam, qualis in vulgi ore versabatur, — scil: loquens persona illa dicta aut singillatim ad se refert aut universe pronuntiat — sed obscuratur quasi proverbialis species eo, quod a loquente persona ad quamvis personam sive alteram sive tertiam, haud universe sed definite referuntur. Itaque haec videtur causa esse, cur Donatus ad Hec. 696: Plane hic divinat' adscripserit: ‚unde proverbium: aiunt divinare sapientem.' Hoc enim est in universum dictum et generatim, illud pronomine ‚hic', adiecto, proprie et definite. — Item vero res se habet in Eun. 379: ‚perculeris tu me', ubi Donatus adnotat: Unde proverbium: ‚bene (vel potius: paene) plaustram perculi.' Sic enim legendum esse suspicor, non, ut vulgo editur: ‚perculit', qualis forma, prorsus vaga atque incerta, proverbii rationi male conveniat. Propter hanc igitur opinionem Donatus, si quid video, proverbiali notatione abstinet ad hos locos. Adelph. 739, Phorm. 495. Hec. 810. 214. Andr. 658, quibus addo: Andr. 189:

Hic dies aliam vitam defert, alios mores postulat. *Si.* quod apud Zen. 1,22 sic fertur: ἄλλος βίος ἄλλη δίαιτα.

Eun. 426: Lepus tute es et pulmentum quaeris.' *Th.* quod, etsi Vopiscus de Numeriano 14 Livii Andronici dictum esse narrat (cf. Ribb. frgm. com. p. 4), sine dubio ex hoc Graeco manavit: δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ. (cf. Diog. 4,12 et Mac. 6,29).

Verum haec mea sententia, quam modo de Donati silentio protuli, nullo pacto infringitur hoc loco: Phorm. 780: ‚in luto haesitas', utpote cui Donatus salva sua consuetudine ad-

scribere potuerit: ‚Proverbium' quia Geta haec verba ad se ipsum, non ad alteram personam conversus, facit. Item res se habet in Phorm. 318. Quin etiam in nota, ad Eun. 245: Tota erras via' posita, Donato genuinam scripturam recte mihi videor restituere, ‚παρόμοιον', quod vulgo, sed prave, ut patet, legitur, mea opinione, quam modo patefeci, non labefactata, in ‚παροιμία' mutans. Nam hic quoque Gnatho non cum altera persona colloquitur, sed fingit adversarium, cui illud proverbium quasi obicit; re vera solus in hac scena sermonem habet. Postremo in hanc quaestionem venit:

Eun. 832: Scelesta, ovem lupo commisisti'. *Th.*

At enim in hunc locum id quod de Donati ratione disputavimus, minime videtur quadrare. Nam etsi loquens Thaidis persona proverbium illud non ad se ipsam, sed ad alteram Pythiae personam refert, tamen Donatus in lemmate apponit hoc: ‚Bene dilatum tot occasionibus proverbium personne Thaidis adscriptum est'. — Sed ‚commisisti', quia metro repugnat, a Terentio non esse profectum, sed librariorum incuria in textum irrepsisse, planissime apparet; ‚commisti' autem formam editores poetae obtrusisse potius quam restituisse crediderim. Nam hoc si Terentius scripsisset, scholiastae aut ad hunc locum quidquam de syncopae figura adnotare non intermisissent, aut ad praegressum versum, ubi de forma ‚iusti' explicaverunt, hanc prorsus similem formam vicini versus sine dubio exempli gratia attulissent. Itaque cum Bentleio Terentio veram suam formam: ‚commisi' reddere non dubito, idem in exemplo suo Donatum et legisse et in lemmate posuisse, sed a librariis falso citatum esse arbitratus.

Hoc igitur nostra disputatione liquere videtur, Donatum praeter eos locos, quos modo exemi, ceteris omnibus, quippe qui e Graeco sermone translati essent, Terentianis proverbiis aptam addere notam consuevisse. Contra superest larga proverbiorum copia, quae propter brevitatem Romana dicere mihi liceat, quae omnia simili grammatici commento prorsus vacant. Nulla autem causa in promptu esse videtur, cur Donatus tot locos, qui aut ipso orationis colore aut certis aliorum testi-

moniis tamquam proverbia offeruntur, alto silentio praeterierit. Velut nemo facile expedire possit, cur non ad Andr. 480: ‚Ego in portu navigo', qui locus ipse proverbialem speciem prae se fert, nec ad Andr. 941: Nodum in scirpo quaeris', quod proverbium et Plautus (Menae. II, 1, 22) et Terentius ab Ennio, quem citat Festus p. 330 (Muell.): ‚Quaerunt in scirpo soliti quod dicere nodum' tamquam hereditate accepit, quidquam de proverbio monuerit. Hoc vero eo plus habet offensionis, quod utrumque in Andriae fabula locum habet, h. e. in ea, ubi Donati commentarii, in ceteris quidem fabulis multo magis contracti et valde mutati, maxime integri servati videntur. Tota haec res profecto satis mira est, praesertim in commentatore, qui alioquin diligentissime etiam ea provv. definite testatur, in quibus ambigendi causa omnis praeclusa est (cf. p. 38). Quod duplici modo expediri potest. Aut enim nobis sumendum est, neglegentia librariorum et magistellorum, quos suo arbitratu hunc commentarium lacerasse constat, ipsas eas adnotationes, quae ad haec proverbia spectabant, periisse: quod non est verisimile, quoniam miro atque prodigioso casu fieri oportuit, ut illis commentatoribus solae ipsae notae, ad Romana proverbia adscriptae, tantae aut offensioni aut incuriae essent. Hoc igitur si recte reiciemus, nihil aliud relinquitur, nisi ut ponamus, de industria Donatum haec et reliqua silentio obtexisse, propter nullam aliam causam, credo, nisi, quia supervacaneum vel a re sua alienum putabat, proprie designare proverbia, unicuique a prima pueritia notissima et paene trita, h. e. proverbia Romana. Hinc igitur simul firmum videmur praesidium paravisse sententiae nostrae, qua p. 32 adnotationes illas a Donato abiudicandas esse censuimus. Nam eis quoque locis similes Graecos frusta circumspeximus.

Ut igitur paucissimis verbis eorum, quae de Donati commentandi more disputata sunt, summa repetatur, id mihi videor ad probabilitatem quandam perduxisse, grammaticum illum Graecae originis proverbia exceptis eis quae pp. 33—38 distinxi, diligenter notare solitum, reliquis, quorum

Graeca stirps, quatenus ego video, detegi nequit, tales adnotationes addere consulto et cogitate vitasse.

Nonnulla autem ex hoc numero re vera e Latino sermone nata esse vel inde concludi potest, quod ad Romanorum res atque instituta spectant. Quod quidem valet ad Phorm. 1026 et ad Eun. 348 (cf. p. 36).

Adde Eun. 640: Extrema linea amare haud nil est. *Ph.* quam proverbialem locutionem e Circo petitam esse Heinsius ad Ovid. Amorr. 3, 2. 19 probabiliter demonstravit.

Sed haec observatio en ad aliud nos ducit argumentum. Etenim apparent quaedam vestigia, quibus aliqua probabilitatis species meae sententiae additur, qua Terentium quidem talibus locis non Graecos poetas imitatum, sed ipsum ingenium suum secutum esse putaverim. Hunc enim usum, liberius Graecas fabulas tractandi, Plauto familiarissimum, ne Terentium quidem prorsus abnegasse, sat certo et confidenter concludi potest ex Eun. 783, ubi Pyrrhi nomen, pro quo apud Menandrum certe alius imperator, sed vetustiore aetate florens, nominatus erat, suo Marte posuit. Nam Thraso miles, quem E. Klussmannus (de Cn. Naevii poetae vita cet. Jena 1843) p. 224 e Naevii Colace a Terentio desumptum esse, mihi quidem non probavit, provocat ad exemplum est auctoritatem imperatoris, ante, suam aetatem vigentis (‚idem hoc iam Pyrrhus factitavit'). Atqui Pyrrhus degit quidem Menandri temporibus, floruit demum sub exeuntem poetae vitam. Itaque inepte Menandreus in comoedia miles mentionem fecisset exempli Pyrrhi, ignoti ducis tunc temporis, ubi Eunuchus Menandri esse acta cogitanda est — quod probabilius factum est a Menandro florescente quam a languescente. — Recessit igitur Terentius hoc loco a Graeco suo exemplari, sicuti mutare aliquid eum non dubitasse vel supra (p. 30) vidimus. Verum haec eadem ratio etiam latius patet. Collocata enim videmus proverbia quaedam in eis scenis, ubi contaminando diversas comoedias poeta ipse quaedam addere vel certe mutare quodammodo cogebatur, scil: ut caveret, ne ex diversis fabulis petita, male inter se congrua, auditorum animos offenderent. Tales autem scenas veluti Eun. II, 3. III,

2, IV, 7, alias, Terentio potestatem et necessitatem quasi imposuisse suae ipsus indolis sequendae Grauertus in Analect. pp. 147—173 ingeniose dispexit et comprobavit. Iam vero in his ipsis scenis illa provv. occurrunt Romana; scil. in Eun. 348, ubi parasitus cum ancilla memoratur, et in v. 815, ubi Thraso, ab impetu illo ridiculo discessurus sic parasitum adhortatur: ‚Domi focique fac ut memineris'. Atqui Thrasonis et parasiti personas e Menandri — non Naevii et Plauti Colace, id quod Klussmannus l. l. pp. 142 et 144 frustra me iudice demonstrare conatus est — translatas cum eiusdem Menandri Eunuchi personis se contaminasse Terentius ipse in prol. v. 30—33 libere fatetur. In his igitur scenis, quae ab imitatore quamvis fideli, quasi postulabant, ut ipse ingenium suum exerceret, probabile fit, poetam de suo addidisse, quae ad bene contaminandas fabulas necessaria ei videbantur. Sed auxeritne in his poeta reapse Graecorum fabulas an mutaverit tantum ita, ut, quae in exemplari proprie et simpliciter pronuntiata repperit, ipse in proverbii figuram redigeret, hanc quaestionem, testimoniis destituti, dirimere non possumus, sed, cum ad summum nostrae disputationis consilium paululum vel nil habeat ponderis, nostro iure in medio licet relinquere. Satis nobis est, hoc demonstrasse, in nonnullis scenis, in quibus poetae et opportunum erat et necessarium, quaedam aut mutare aut addere, ipsa illa proverbia locum habere, quorum Romana stirps vel ex argumentis aliunde petitis per se quidem patet.

Hoc igitur, quod rimando singula nobis videmur effecisse, tenendum est: Praeter proverbia, e Graeco sermone aperte translata, reperiuntur apud Terentium alia, e vernacula lingua petita. Haec autem, cum nonnulla quaedam communia habeant cum ceteris, quae ex Romano fonte fluxisse tantum suspicio est, — scil: nullam Graecorum proverbiorum comparationem, nulla Donati testimonia — num calidius vel audacius ratiocinabimur, etiam cetera illa, quamquam de singulis decerni non potest, re vera esse proverbia Romanorum propria?

Hoc autem si verum est, Terentium Romana provv.

fabulis suis inseruisse, nonne idem in Plautinam artem cadere optimo iure nobis conicere liceat? Immo quod coniectura collegimus, verissimum esse cognoscimus ex Tentianis illis exemplis Romanae originis, quae eadem Plautinum sermonem ornant, velut ex Men. II, 1, 22. Capt. IV, 2, 86. Aul. IV, 10, 77. Pers. IV, 7, 19. Accedunt ea, quibus Romana argumenta subsunt, ut his: Bacch. 123. Cas. III, 1, 10. Pseud. 1322. Poen. V, 2, 48, ut mea quidem sententia etiam: Cas. V, 4, 8 Trin. 320. Ceterorum vero Plauti proverbiorum etsi Romana stirps per singula nullo confirmari testimonio potest, ex universa tamen huius poetae ratione, Graecas comoedias tractandi, multo liberiore quam Terentii, conicere licet, illum multo minus quam hunc dubitasse, Romana provv. suis fabulis immiscere. Quod si ita esse conceditur, non sine aliqua probabilitatis specie ea, quae pp. 33—38 enumeravi, in hoc numero colloco, quibus paria Graeca non extant.

Verum enimvero omnium fere Plautinorum Terentianorumque proverbiorum compagem executus eorumque argumenta commentatus nunc quidem ad alteram totius dissertationis particulam progrediar, quae versatur in ratione pervestiganda, quam poetae in proverbiis usurpatis secuti sint.

Atque personas quidem proverbialiter loquentes faciunt in universum quasvis, sed maxime largam proverbiorum copiam faciunt servis illis admodum versutis et callidis, utpote quorum in fabularum nodis et nectendis et solvendis opera maxima consumatur. Promunt autem hi servi provv. ex quolibet argumentorum genere: modo generales sententias et eas gravissimas, e philosophia petitas, proferunt, modo locutiones e vita humillima translatas adhibent. Id quod illorum vivendi rationi bene conveniens est. Nam arte et intimo quodam vinculo hoc genus hominum cum duabus inter se fere contrariis partibus constrictum est: cum gravioribus nimisque severis et parcis senibus et cum eorum filiis levioribus nimisque dissolutis et prodigis. Quae cum ita sint, non est mirum, quod et severas atque honestas sententias, illorum aetatis proprias, et horum loquendi rationes ex cotidianis voluptatibus ac deliciis sumptas in se recipiunt. Ad

quae accedunt ea, quae ex ipsorum vita inferiore et ex cotidiana hominum consuetudine animis suis infixerunt. Quod verum esse ut videas, confer, si placet: Andr. 214. 778. 845 381, ubi idem Davus quatuor inter se diversa argumenta tangit. Huic hominum generi porro ancillas, meretrices, parasitos, lenones, alias inferioris ordinis personas adnumero. Itaque perapte Thraso, miles ille gloriosus, qui ubique versatus multa vidit, multa audivit, de multis ac variis rebus proverbialiter loquitur in Eun. 426. 815. 783. 789. Adde Plautinos locos: Pseud. 685. 1322. 102. 743 cet.

Sed prorsus diversum usum uterque poeta in reliquis personis sequitur. Nam cum Terentiani senes maxime gaudeant aut generalibus sententiis, quas antiquitus traditas ad animos hominum plurimum valituras existimant, aut eis proverbiis, quorum vim suo ipsorum periculo per aetatem cognoverunt (unum exemplum Micionis moneam in Adelph. 804 et 739), Plautinos senes cuiuslibet argumenti proverbia terere videmus. Id quod facile apparebit, si hos locos contemplatus eris: Aul. I, 1, 10. II, 2, 48. III, 4, 42. IV, 10, 75. Epid. III, 3, 30. III, 4, 90.

Deinde adolescentes Terentiani aut ex oblectamentis urbanis aut ex rusticis negotiis, quibus sub patrum oculis quondam operam dare debebant, proverbia captare solent. Quod videbis ex his: Eun. 732. 640. Phorm. 506. 686. Andr. 941. Rursus Plautini adolescentes unumquodque paene argumentum proverbiorum attingunt. En exempla habes haec: Truc. IV, 1, 8. IV, 2, 59. Poen. III, 1, 29. Aul. IV, 10, 15. Trin. 317.

Matronas denique illas honestas et ingenuas Terentius proverbia usurpantes omnino non facit; contra Plautus his provv. undecumque hausta tribuere non dubitat. Confer quaeso haec quae in promptu sunt exempla: Curc. 197. Epid. IV, 2, 9. Asin. 874. Poen. I, 2, 28. Cas. II, 3, 50. Curc. 189. Stich. 139.

Hoc igitur ex eis, quae modo disputavimus, perspici arbitramur, Terentium apte et artificiose sua cuique personae provv. accommodasse, ita ut eius moribus atque ingenio bene convenirent et ex cuiusque aetate et vitae ratione quasi

ultro nata esse viderentur. Contra Plautum videmus multo liberius, ne dicam neglegentius — nam profecto diligentiae laudem illud non habet — in proverbiorum usu versatum esse, exempli gratia haud ita concinne ad matronas provv. de agresti vita et animalium ratione ducta referentem, adolescentibus satis mire generales sententias tribuentem, senum sermonibus parum prudenter provv. ex voluptatibus atque deliciis petita immiscentem. — Quaerentibus vero Romanisne poetis tale discrimen et laudi et vitio vertendum sit, an Graecis, quorum vestigia illi persequebantur, nobis non videtur dubium, quin Terentius ob elegantiam sui ingenii propriam hunc Atticorum comicorum constantem usum praeclare persentiscens et eorum condicionis vinculis se astringens haud mediocri cura id vitaverit, quod Plautus, nimis libere ab exemplis suus recedens et suo ingenio suoque componendi studio abreptus, imprudenter commisisse videtur.

Dixi de personis, proverbialiter loquentibus: progredior ad explicandum, quomodo in singulis comoediae partibus poetae proverbia adhibuerint. Videmus autem utrumque id, quod ipsa rei natura postulabat, recte cognovisse scientemque eius praecepta secutum esse. Nam ut provv. inserta comoediae diverbiis, in quibus vulgarem et cotidianum hominum sermonem scriptor imitatur, orationi haud ita contemnendum ornatum et gratiam conciliant, ita eadem, in canticis, quae proprie dicuntur, admissa, ubi animi affectiones, ex rei gerendae gestaeque motu et agitatione profectae magnificentioribus verbis efferuntur, multum de harum partium amplitudine ac sublimitate detrahunt. Itaque in canticis non reperiuntur propria quae diximus proverbia, sed aut generales sententiae, cum emphasi quadam summaque gravitate pronuntiatae, aut proverbiales illae figurae, quae formantur vel compositione similium vel oppositione dissimilium et vocum et sententiarum. In his autem saepe praecipuam vim in esse, vel supra (p. 30) docuimus. Ut exemplis utar, praecepta, vivendi rationi utilissima, continent: Phorm. 246, Pseud. 685; sententias misere querentium praebent: Hec. 406, Andr. 636; desperantis hominis: Cist. IV, 2, 16, indignantis

Heau. 673. Solatium exprimunt: Eun. 245 et Heau. 675. Proverbiales denique locutiones habes in Epid. I, 1, 87, Amph. 168. 169. Eun. 300, aliis locis.

Atque hi quidem loci, quos modo per genera sua breviter percensui, ita comparati sunt omnes, ut aut toti meditationi, per plures versus continuatae, tamquam clausulae, gravissima quaeque orationis breviter comprehendentes, adiciantur, aut ampliori singularum sententiarum inter se cohaerentium colo tamquam finis imponantur. Aut continent denique responsa, interrogationibus, quas vocant, rhetoricis a loquente persona statim addita.

Verum hanc eandem proverbia collocandi rationem, si paulo accuratius in eorum usum inquiremus, Plautum et Terentium si non ubique, at frequentissime in diverbiis quoque tueri perspiciemus. Longe enim plurima provv. poetae in fine sermonum ponunt, sive tota scena exeunte sive alterius personae sermone perfecto, quem altera excipit, sive pluribus sententiis unius eiusdemque personae intra maiorem enuntiatorum ambitum finitis. Quam rem ut paucis absolvam, versuum numeros tantum apponam. Primi igitur generis nulla inveniuntur exempla nisi haec: Adelph. 958. Eun. 1024. 1093. Hec. 621. Andr. 431. 480. Phorm. 533. — Men. V, 3, 12. Aul. II, 3, 12. Rud. 937. Curc. 460. Epid. III, 4, 90. Stich. 578. Sed Persae actus IV scenam septimam non claudi versu 13: ‚dictum sapienti sat est‘ Ritschelius ex codice A cognovit, ubi ei additus est versus, qui vulgo in sequentis scenae exitu locum habuit.

Alterum genus innumeris exemplis illustrare possum, sed satis sit, per saturam haec delibare:

Adelph. 804. Andr. 805. Eun. 445. 1085. Phorm. 318. 419. 544. Asin. 186. 495. Aul. II, 2, 58. Poen. I, 2, 81. II, 3, 40. IV, 2, 85. Trin. 484. 1154. Pseud. 107. 123. 319. 386.

Tertium his locis declarabitur: Andr. 845. Eun. 268. Hec. 810. Phorm. 186. Adelph. 693. 386—387. — Trin. 208. 423. Bacch. 675. 767. 791. 889. Pseud. 102. 141.

Accedunt denique nonnulla provv. intercalaria, ut ita dicam, per parenthesim quasi breviter orationi intertexta.

Qualia reperiuntur in Andr. 61, imprimis in Phorm. 79. 495. 661. 1027. Poen. I, 2, 122. III, 3, 71. Curc. 197. Pseud. 363. Amph. 707. Pers. IV, 4, 55.

Aptissime autem et prorsus convenienter proverbiorum naturae poetae hunc eis locum dant. Nam cum talia dicta ea comprehendant, de quibus dubitari omnino non potest, quoniam de vero omnibus idem consensus est vel esse debet, haec ipsa maxime sunt idonea, quibus quis ut locupletissimis argumentis nitatur. Verum haec argumenta, ad demonstrandum et persuadendum aptissima, prudentis viri est ad postremum reservare, cum praesertim ea ipsa, quae in orationis exitu proferuntur, animis ac mentibus auditorum facillime infigantur. Habent igitur provv., hoc loco posita, aut causalem vim — semper fere particula ‚nam‘ eis praefixa est vel audiri debet — aut praegressis interrogationibus, affirmativam potestatem. Accedit alia causa, quod proverbia, quae quidem proprie ad fabulam ipsam non pertinent, sed aliunde advocata sunt, ut auditorum mentes accuratiore cognitione imbuantur, quodammodo orationem continue fluentem interrumpunt et moram quandam efficiunt. Talis autem mora aperte ibi optime fit et facillime, ubi orationis ipsius efficitur institio, h. e. in exitu aut coli aut sententiae.

Contra minimam proverbiorum partem poetae initio orationis collocant. Sunt autem fere communes loci, quibus ea subiciuntur, quae de re certa ac finita proprie dicuntur. Nam id quod in universum exploratum atque comprobatum est, ad ea probanda, quae in parte narrantur, plurimum valere apertissimum est. Sic enim res se habet in:

Andr. 426. 778. Adelph. 824. 832. Heau. 666. — Asin. 92. 439. 729. Curc. 53. 189. Pseud. 989. 1322. Men. II, 1, 22. Poen. I, 2, 28. V, 2, 48.

Aut sunt breves sententiae, ab altera persona asseverationibus aut interrogationibus alterius obiectae, velut: Andr. 305. 309. Eun. 722. Rud. 1306. Truc. V, 47. Poen. IV, 2, 49.

Proverbialium denique figurarum usus, etsi, ut res fert, multo liberior est, tamen paucae in fronte orationis sedem

occupant, longe plurimae finiunt sermonem, nonnullae mediis enuntiatis interpositae inveniuntur.

Haec fere sunt, quae de proverbiorum collocatione, utriusque poetae propria, dicenda videbantur. Qua quaestione absoluta pergo ad investigandam viam ac rationem, quam in eis conformandis poetae sint ingressi. Solent autem ea plerumque plena afferre, et sermone ad vitae usum communem composito, qui est saepe verbosior, utentes, explicatius et copiosius omnes proverbii partes exsequi. Quod cognosces his exemplis: Adelph. 386—87. Phorm. 454. 318. Andr. 805 cet. Nec vero diversa est Plauti ratio, qui quidem semper fere vel ante ipsum proverbium vel post, quid illud sibi velit, diligenter exponit, ita ut idem bis, et proprie et proverbialiter exprimat. Velut percurre, sīs, haec: Asin. 495. 874. Mil. 148. Stich. 577. Pseud. 88. Aul. II, 2, 18 et 58. Poen. III, 5, 31. Pers. I, 1, 43. Men. II, 1, 13. Most. III, 2, 104. Interdum Plautus etiam cumulat provv. eo consilio, uti videtur, ut alterius vim per alterum prov. aut explicet aut adiuvet, velut in Pseud. 260. Curc. 53—55. Asin. 99. Capt. I, 2, 81.

Non semper autem poetae proverbia eādem, qua ferri solent, specie induta citant, sed — imprimis hoc in Plautum cadit — satis libere mutant ea et amplificant aut ioci causa (velut in Aul. III, 4, 42 et in Pseud. 123) aut fortasse propter metrum. Conferas velim: Pseud. 102. Asin. 172, quae exempla non plane cum Graecis congruunt, et Aul. IV, 10, 77. Poen. IV, 2, 22 et alia.

Hic illic alludunt tantum proverbia et mentionem eorum leviter iniciunt; quod illustratur his: Hec. 696. Heau. 419. Phorm. prol. 21. Epid. III, 4, 4. Cas. III, 2, 8 cet. — Atque etiam hoc licentiae sibi sumunt, ut vel una notione totum proverbium respiciant. Quod manifesto docemur: Heau. 521. Asin. 892: capuli decus (cf. nott. ad Diog. 2, 58: **σοροδαίμων**). Asin. 934: cuculum (cf. Apost. 11, 39: **μηχανικώτερος κόκκυγος**).

Semel autem Plautus iocans et ludificans eiusmodi locutionem, quamvis levem atque simplicem, gravissima praefatione tamquam proverbialem diserte indicat, scil. Poen. I, 1, 7:

Scitumst, per tempus si obviam it, verbum vetus:
Nam tuae blanditiae mihi sunt quod dici solet, Gerrae germanae. *Mi.*

Proverbium, quod servus iocose cum tanto molimine praeparat, desinit in ridiculam illam et levem sententiam proverbialem: ,Gerrae germanae' de cuius origine Festus s. v.: ,gerrae' exponit et Rostius Opusc. I p. 281 latius explicat. Sed in. v. 7 nonnulla insunt, quae iustam dubitandi causam subiciunt. Nam fac, phrasin istam: ,per tempus', absolute positam, valere posse idem atque: ,mature' vel.: ,opportune', id quod inter omnes interpretes huius loci convenit, tamen in tota sententiae conformatione haereo. Vix enim feras dicentem: ,Scitum est verbum, si, (h. e. ea conditione, ut) suo loco et tempore tibi in mentem veniat. Conditionalem igitur particulam, quae totam sententiam satis miram et languidam reddit, ferri non posse ego arbitror. Atqui locutionem illam ,per tempus' a Plauto usurpari pro: ,opportune' nonnisi dativo, quem vocant commodi, adiuncto, Fleckeisenus (Annal. phil. et paed. a. 1873 p. 504) compluribus exemplis velut Cas. II, 16 Bacch. 844 Men. I, 2, 30, quibus ob hanc causam vir ille doctus addit Truc. I, 2, 85, recte monuit et ante eum Boxhornius ad Cas II, 1, 16 declaravit. Quod si verum est, ilico est actum et de Weisii explicatione, per se quidem haud probabili, qui tale proverbium: ,per tempus obviam eundum, si obviam ire vis' ex hoc loco eruit, et de vulgari eorum interpretatione, quae haec verba id significare statuunt, quod a Plautino dicendi usu alienum est. — Quae cum ita sint, hunc versum labe non esse immunem suspicatus, scripturam, qualem libri ita exhibent, ut supra posui, nisi quod fluctuatur inter ,obviam it' et ,obviam is', sic esse mutandam censeo:

Scitumst: per tempus mi obviam it verbum vetus.

Ironice autem Milphio ad ea, quae Agorastocles dixit de gratia habenda pro servi beneficiis, sic fere respondet: ,Scite profecto et lepide tu dicis, atque verba tua opportune mihi in memoriam revocant hoc proverbium: Iam exspectamus proverbium,

quo servus, per eandem ironiam pergens, id comprobaturus esse videatur quod dominus antea promisit. Quo consilio sequens proverbium incipit a particula ‚nam', quam Plautus per ellipsin quandam saepius initio orationis ponit (cf. O. Seyffert: Studia Plautina Berol. 1874 p. 20 et Terentianum exemplum: Phorm. 78, p. 4 a me tractatum, huic loco simillimum). Sed praeter exspectationem mutato subito orationis colore, quid vere de domini blanditiis cogitet, supponit. —

Restat postremo, ut explicetur, quemadmodum poetae provv. fabulis immiscuerint. Duplici autem modo in eorum structura versantur: Aut enim, ut supra significavimus, nota in proverbii naturam quadrante, velut: ‚vetus est verbum', ‚scitum est', ‚aiunt' cet., quae quasi formularum speciem habent, proverbia diserte praenuntiant, aut nuda orationi simpliciter inserunt. Priore illa ratione personae comoediae prudentes ac scientes ad haec dicta provocant; qua de causa ea quam accuratissime et eādem fere forma, qua in vulgi ore versabantur, reddunt, sive directa oratione, magis vivida et alacriore utentes (cf. Andr. 805. Eun. 732. Phorm. 77. 419. 506. 768. Heau. 796. Cist. II, 1, 30. Poen. I, 1, 7. I, 2, 28. IV, 2, 54. Most. III, 2, 104. Truc. V, 40. IV, 4, 32. Stich. 707. Asin. 186. Trin. 351. Cas. V, 4, 11.) sive indirecta, ita ut notio illa praemissa simul vox sit, unde sequens proverbium cum infinitivo iunctum pendeat (cf. Andr. 426. Adelph. 804. Heau. 210. 422. Merc. IV, 4, 31. Truc. IV, 4, 32.) — Haec autem provv. primae tantum personae de se aut de universis hominibus (pro quo sane altera quoque verbi persona poni potest, sed ea infinita ubi nos dicimus, „man") amplectuntur. Reliqua vero, tali indicio haud instructa, ita sermoni inserta sunt, ut comoediae personae non communia omnium dicta, sed sua ipsorum, inter loquendum ipsum inventa vel subnata pronuntiare videantur. Itaque proverbialis natura harum locutionum obscuratur potius quam in aures impingitur, nec provv., sic usurpata, a ceteris cotidiani sermonis vocibus quidquam videntur differre. Atque eo magis proverbialis species evanescit, quod unaquaeque persona de quavis altera haec promiscue in suum sermonem transfert. Itaque huiusmodi

dictis vix ulla proverbii vestigia remanent, nisi forte eis, in quibus generalius quid dicitur, velut in his: Adelph. 431. Andr. 778. 845. Curc. 189. 460. Poen. I, 2, 28 cet.

Postremo loco memoratu digna videntur, quae neminem, si quis paulo accuratius ad externam proverbiorum formam animum attenderit, fugient. Alliterationem enim, figuram illam Romanis prorsus domesticam et Plautus et Terentius cum per totam suam dictionem tum in proverbialibus enuntiatis frequentare amant. Exempla huius usus celeberrimi adeo ubique sunt in promptu, ut verear, ne taedium afferam satietati lectoris, si singula velim enumerare. Egregie vero hanc alliterationis figuram proverbiis convenire, facile unusquisque intelleget, qui utriusque finem diligentius perpenderit. Sicut enim sententia, proverbio vibrata, ut Erasmi verbis utar, acrius ferit auditorum animos, ita ferit et percutit sine dubio proverbium, alliteratione figuratum, statim eorum aures ipsosque multo reddit attentiores. Optime igitur huius figurae usus proverbii consilium et adiuvat et auget.

VITA.

Ioannes Carolus Schneider Neomarchicus natus sum a. d. XII Cal. Jun. a. h. s. LIII in urbe Woldenberg patre Carolo, matre Guilelmina e gente Schulz. Fide institutus sum evangelica. Primis litterarum elementis in scholis elementariis imbutus anno h. s. LXVIII Joachimici gymnasii Berolinensis alumnis adscriptus sum, ubi per V annos et G. Kiesslingio et Schapero rectoribus praeclarissimorum praeceptorum disciplina usus sum. Maturitatis testimonio anno h. s. LXXIII instructus civitatem academicam universitatis Fridericae-Guilelmae Berolinensis adeptus sum atque per IV annos scholas frequentavi virorum clarissimorum Curtii, Droyseni, Geigeri, Harmsii, Hauptii, Huebneri, Kirchhoffii, Mommseni, Müllenhoffii, Nitzschii, Steinthalii, de Treitschkii, Vahleni, de Wilamowitzi-Möllendorffii, Zelleri. In seminarium philologicum regium receptus per ter sex menses Kirchhoffii et Vahleni doctrina fructus sum. Praeterea Nitzschii, Huebneri, Vahleni, Müllenhoffii societatum sodalis fui. Quibus viris omnibus optime de me meritis pio animo gratias ago debitas ac semper habebo maximas. — Denique ante hos decem menses examen in arte gymnastica ita sustinui, ut eius magister legitime constitutus sim.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Ter. Eun. 496: ‚domini similis es‘ in ‚tu asini similis es‘ corrigendum esse puto.
2. Plaut. Trin. 804 conicio: Continuo tu operi.
3. Eiusdem Capt. II, 2, 102 haec puto Plautum scripsisse:
   Quam citissume potest hoc, tam celere effectum volo.
4. Tac. Annal. I, 1, 11 Lipsii et Mureti scriptura: ‚detererentur‘ probanda est.
5. Hor. ep. I, 10, 37 comprobata Hauptii coniectura (cf. Opusc. III, p. 46) scribendum est: victo ridens.
6. Aesch. Agam. 1410 (Herm.) scribo:
   εὐκτῆς παροψώνημα τῆς ἐμῆς χλιδῆς.
   Libri: *εὐνῆς.*
7. Callim. h. in Dian. 207: *τοῖς ἔνι κούρῃ* mutandum puto in: *τοῖς ἔτι κούρῃ.*
8. In eiusdem h. in Lavacr. Pall. 14 et 37 librorum scripturae: *ὑπαξονίων* et *ἐδίδαξε* retinendae, O. Schneideri coniecturae: *ὑπ' ἀξονίων* et *ὃ δίδαξε* reiciendae sunt.